Dicitur adhuc illuminativa, quia anima purificata conatur intensius detestari omnia peccata et Deo placere per virtutum ornamenta, sese perfectius Christo conformando, qui est *lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* [3]

828. — **Via unitiva.** — Tertia via dicitur *unitiva*, quia anima a peccatis purgata et virtutibus illuminata et exornata, principaliter Deo inhæret, eo fruitur et in Deo quiescit.

Notandum tamen est, uti jam de caritate diximus [4], has tres vias nunquam esse in hâc mortali vitâ ita condistinctas, sed unamquamque illarum ab eo, quod in ipsâ prædominatur, nomen et rationem accipere.

Nam imprimis tempore peregrinationis nostræ nunquam ad eum gradum perfectionis pervenitur, in quo proficere homo non possit. Quamvis aliquis in hâc vitâ perfectus sit, progredi debet in viâ Dei, ne retrogrediatur, participat ergo aliquid de viâ illuminativâ. Timere etiam debet, et propter hoc castigare corpus suum, ne, cum sibi, videtur perfectus, reprobus inveniatur. In hoc ergo participant etiam perfecti viæ illuminativæ, imo interdum etiam purgativæ: nam aliquando Deus permittit viros perfectos gravissimis tentationibus vexari ad elationis spiritum corripiendum. Unde a fortiori fit ut multo magis proficientes interdum sentiant molestias et difficultates viæ purgativæ. Imo aliquando Deus incipientibus communicat aliquid de dulcedine et suavitate viæ unitivæ, ut ad spem et perseverantiam animentur, et tunc facilius operantur quam alii diutius exercitati.

(1) MATTH. v. 8. — (2) ROM. XIII, 12. — (3) JOANN. I, 9. — (4) Cfr. n. 401, versus fin.

Regulariter tamen et quantum ex vi statûs non ita est, sed servatur discrimen supra declaratum. In his tribus viis varia inveniuntur exercitia spiritualia peragenda, sed varia etiam impedimenta vitanda, de quibus nunc agendum; et primo quidem in genere, et dein in specie, et fusius de præcipuo studio cui unaquæque via incumbit.

Quamvis de hâc materiâ pluries in hoc opere sermonem habuerimus, opportunum tamen duximus hic eorum compendium exhibere, quæ in triplici perfectionis viâ facienda sunt exercitia. Ex eo quod ita procedimus, Frater, magis intime intellectu capies quæ præcedunt, ac quomodo tota vita christiana ad unionem cum Deo convergere debeat.

Ob eamdem rationem latius tractabimus de præcipuo studio unicuique viæ proprio. Quamvis enim de his materiis antea agi potuisset, melius intelliges, postquam edoctus fueris perfectionis naturam, quam magni momenti sit tentationibus obsistere, praxi virtutum incumbere et ad fruitionem Dei anhelare, et perfectius uti poteris mediis ad hos diversos scopos attingendos.

ART. I. — De viâ purgativâ.

829.— Primus perfectionis gradus, qui est incipientium, comparatur *principio* viæ percurrendæ.

Primum enim in motu locali, uti diximus [1], est *recessus a termino*. At, Frater, a quo recedere tenetur homo justificatus factus amicus Dei? Ab omnibus quæ caritati sunt contraria, et eam impediunt quominus in infimo suo gradu inveniatur.

PERFECTIO INTRINSECA vitæ christianæ in viâ purgativâ habetur igitur per caritatem communem.

PERFECTIO VERO EXTRINSECA quando homo per exercitationem virtutum dispositionem acquirit permanentem, ut

(1) Cfr. n. 401, versus fin.

caritas communis apta reddatur ad omnia peccata *mortalia* superanda. Quamdiu ergo homo justificatus non habet passiones ita saltem moderatas, ut facile superet tentationes, prout ad peccandum mortaliter inclinant, neque comparavit facilitatem aliquam in exercendâ virtute, vel quamdiu indiget continuæ pugnæ ad conservandam et exercendam caritatem communem vel alias virtutes sine quibus ipsa esse non potest, non censetur perfecte viam purgativam percucurrisse.

EXERCITIA.— Hujus viæ exercitia, juxta D. Thomam [1], ad duo genera reduci possunt, scilicet ad *emundationem peccatorum commissorum* et ad *præcautionem futurorum.*

Cum præcipuum hujus viæ sit studium quo justificatus pugnet contra tentationes, dicemus 1. De emundatione peccatorum in genere, et dein 2. de præcautione contra peccatum, seu de tentationibus in specie.

§ I.— *De emundatione peccatorum.*

830.— Adsunt in homine, Frater, propensiones ad malum, quæ, uti jam vidimus [2], dimanant ex ejus naturâ. Cum enim homo ex animâ et corpore constet, tendit non solum ad bonum spirituale, sed etiam ad bonum sensibile. Præterea etiam bonum spirituale prosequens, sæpissime propriam excellentiam appetit contra divinam voluntatem. Jamvero illæ propensiones ad peccatum nos sollicitant, ideoque sunt veluti fontes et capita ex quibus multa oriuntur peccata. Hi fontes, hæc vitia communiter septem recensentur, quæ peccata seu vitia capitalia vocantur. [3]

831.— Vitia capitalia.— Etenim voluntas *inordinate prosequitur* bonum aut *refugit* malum. Quatenus inordinate appetit *bonum animæ*, videlicet *excellentiam laudis* vel honoris,

(1) 3 Sent. Disp. 29. a. 8.— (2) Cfr Reformatio deformatorum, n. 2 et seq. — (3) S. THOM. 1. 2. q. 84, a. 3, 4.

dicitur *superbia*; cum inordinate prosequitur *bonum corporis*, vocatur *gula*, si circa *potum* vel *cibum* versatur, et *luxuria*, si circa *delectationes venereas;* quum quærit *bona externa*, contra ordinem rationis, *avaritia* nominatur.

Inordinate etiam refugit quædam *mala*. Quandoque enim *tristatur* de bono alieno in quantum est *impeditivum* propriæ excellentiæ, et hæc est *invidia;* si de eodem tristatur cum violento appetitu *vindictæ*, exardescit *ira*; quandoque refugit laborem bono spirituali adjunctum, exoritur *acedia* seu pigritia.

Animadvertendum tamen est, Frater, hæc vitia tunc solummodo esse *vera peccata* quando voluntas eis libere consentit; alias sunt tantummodo pravæ inclinationes ad peccandum. Passiones enim omnes ex se bonæ sunt [1], et merito cum David ab Augusta [2] dicere possumus: " Expugnatio ergo vitiorum non est aliud nisi reformatio naturalium affectionem et motuum ad statum a Conditore dispositum. "

832. — **Varia media ad emundationem peccatorum.** — Practice homo a malis affectibus discedere non valet nisi eos mortificat. Hæc autem mortificatio, de quâ jam plura diximus [3], peragitur.

1° *per custodiam sensuum externorum et linguæ* [4].

2° *per disciplinam religiosam* [5].

3° *per custodiam sensuum et facultatum internarum* [6].

833. — **Notandum circa consolationes quæ in viâ purgativâ experiuntur.** — Hæc exercitia in initio conversionis sat facilia sunt, Frater. Tiro enim in exordio ordinarie magno ardet fervore, " ad omnia paratus, ait David ab Augusta [7], in quibus se credit Deo placere, sive ex magno peccatorum con-

(1) De reformatione deformatorum, n. 64. seq. — (2) Op. cit. Lib. II, de reform. hom. int. cap. XVII, p. 104. — (3) Cfr. n. 64, seq; 70 seq. — (4) Cfr. n. 81, seq. — (5) Cfr. n. 83, seq. — (6) Cfr. n. 92, seq. — (7) Op. c. Lib. III, cap. I, 1. p. 161.

tritione et dolore, sive ex desiderio satisfaciendi Deo, sive recuperandi amissi temporis et neglecti præmii per peccatum, sicut viator, qui diu in mane dormiens, postea cum festinatione et impetu laborat tempus neglectum currendo recompensare et socios, qui se præcesserunt, insequens invenire:" non solum fervore ardet, sed per mortificationis opera exhibet Christo corpus suum *hostiam viventem, sanctam, Deo placentem* [1]. Imo substractio delectabilium et assuefactio asperitatum et laborum ei dulcissima videtur. "Deus enim, ait idem Auctor [2], cum sit benignus et largus, remunerat hominem, qui fideliter offert ei totum quod habet et potest, id est voluntatis fervorem et corporis servitutem." Et per hanc consolationem tiro animæ potentias recte dirigit et homo vere spiritualis efficitur, sub conditione tamen ut *rationàbile* sit ejus *obsequium* [3]. Scriptura enim ait [4]: "*In omni oblatione tuâ offeres sal*, scilicet discretionis, ut nec ad dexteram per nimium laborem, nec ad sinistram per nimium teporem a viâ regiâ declines [5]."

Attamen, Frater, hæ consolationes, quæ ordinarie sensibiles sunt, non magni sunt faciendæ; etsi a Deo descendunt, non tamen communiter majoris sunt perfectionis caritatis indicia. Nam, ut optime David ab Augusta [6] docet: "Benignus Deus, cujus [7] *deliciæ* sunt *esse cum filiis hominum*, libenter impertitur has delicias servis suis fidelibus, etiam *ab adolescentiâ suâ*, id est a novitate conversionis; sed, heu! postea quosdam eorum sentit contumaces, quando ex consolatione spirituali elati ceteros despiciunt, et in teporem versi, dum famem laudis desiderant, jactantiæ vitio depravati, etiam hypocritæ fiunt, et dum meliores videri laborant, quam sunt, Deo se opponunt, gloriam Dei sibi temere usurpantes."

---

(1) Rom. xii, 1.—(2) L. c. cap. ii, n. 1.—(3) Rom. xii, 1.—(4) Levit. ii, 13.— (5) David ab Augusta l. c. 1, n. 2. Recole quid de discretione diximus, n. 192.—(6) L. c. iii, 5. p. 171.—(7) Prov. viii, 31.

§ II.— *De pugnâ contra tentationes.*

834.— Pugna contra tentationes grave est munus hominis justificati. Oportet igitur, Frater, te curam atque diligentiam adhibere ut scias 1. quid per tentationis nomen intelligatur ; 2. quotnam sint tentationum species, et quænam earum causæ, et 3. quænam adhibenda sint media ad illas superandas.

Ne idem bis dicatur, incipientium, proficientium atque etiam perfectorum tentationes una tractabimus.

835.— A) **De tentationis naturâ.**— 1° Tentare generatim significat, Frater, rem vel personam *explorare* seu experimentum de eâ sumere. Sic Deus aliquando tentat homines, volens de illis sumere experimentum, ut tum sibiipsis, tum aliis innotescat quid in hâc vel illâ virtute possint, quid non possint. Sic Deus firmitatem fidei et obedientiæ Abraham tentavit [1], per filii sui immolationis jussionem; patientiam adhuc Tobiæ tentavit per immissam illi cæcitatem [2].

2° Tentare etiam est velle capere experimentum constantiæ alicujus in fide, in castitate aut aliâ virtute, *studio ipsum vincendi*, et ejusmodi tentatio est quædam *sollicitatio* ad malum, quæ diabolo maxime convenit. Quare dæmon apprime vocatur *tentator* [3], et *is qui tentat* [4].

Quamvis illud studium absit, similis tamen tentatio est

3° Quandocumque aliquis invitatur seu sollicitatur, sive a mundo, sive a carne. De his autem tentationibus dicit S. Jacobus : [5] *Nemo cum tentatur, dicat quoniam a Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat* [6].

Causæ igitur tentationum generales sunt, uti vidimus [7], *concupiscentia, mundus et diabolus.*

---

(1) GEN. XXII.— (2) TOB. XII, 13.— (3) MATTH. IV, 3.— (4) I THESS. III, 5.—(5) I, 13.—(6) SYLVIUS. In 2. 2. q. 97. a. 1.—(7) Cfr. Introductio n. 29, seq.

DEFINITIO.— Quando ergo præfatæ causæ *actu* nos ad peccatum incitant, exsurgit tentatio, quæ sensu stricto definiri potest: "conatus protrahendi voluntatem ad peccandum."

DIFFERENTIA INTER TENTATIONEM SENTIRE ET EI CONSENTIRE.— Sentire tentationem non est peccatum, Frater, sed eidem consentire. Ut hoc melius intelligas, in tentatione tria diligenter attendas necesse est: *suggestionem* nempe, *delectationem* et *consensum* [1].

SUGGESTIO ope sensuum: phantasia et intellectus proponit voluntati peccatum, id est objectum quod ipsa sine violatione legis amplecti non potest. Hæc propositio, quamvis prava et diuturna, non est peccatum, cum in eâ voluntas nullam habeat potestatem.

DELECTATIO.— In hâc suggestione homo sentit aut sentire potest delectationem aut displicentiam, et quandoque etiam sensuum commotionem. Hucusque nullum est peccatum, si motus tamen appetitûs est indeliberatus et involuntarius. Sciendum enim est, Frater, appetitum sensibilem naturali necessitate ferri in suum objectum et delectari in ejus possessione. Inde hi appetitus ab omnibus hominibus experiuntur, et sunt plus minusve frequentes et vehementiores pro diversitate complexionis et circumstantiarum.

CONSENSUS.— Sed homo superior, id est *intellectus* et *voluntas* intervenire possunt. Intellectus enim advertere potest ad moralem malitiam objecti quod proponitur, et ad obligationem illud repellendi; *voluntas* autem ab objecto per tentationem oblato sese avertere vel non avertere potest. Quodsi non se avertit, jam incipit voluntaria adhæsio ad rem malam propter non rejectam tentationem, quæ adhæsio per positivum consensum consummatur. His de naturâ tentationis notionibus prænotatis, jam variæ tentationum species una cum earum causis inquirendæ sunt.

(1) S. FRANCISCUS SAL. *Introd.* P. IV, c. 3.

836. — B) **De variis tentationum speciebus atque de earum causis.** — Multum interest, Frater, nosse tentationum species, sed præsertim ex quibus causis ortæ sint, sicut in arte medicinæ multum interest scire causas et origines morborum qui suscipiuntur curandi, quia non una eademque cunctis medicina convenit, sive spiritualis, sive corporalis.

Agemus 1. de tentationibus quæ sæpe sunt puræ probationes, et deinde 2. de tentationibus proprie talibus.

837. — **1. *Tentationes quæ sæpe sunt probationes.*** — Multæ sunt tentationum hujusmodi species, inter quas inveniuntur sequentes :

1. *Substractio et inopia devotionis.* — De hâc tentatione jam sermo fuit, Frater, recole quid de ariditate [1] et desolatione antea dixerimus.

" Hæc est quasi aditus aliarum tentationum, quia si consolatio devotionis adesset, aliæ tentationes nullam vel minorem virtutem haberent, cum ipsa sit quasi domus refugii ab omni tribulatione. Psalmus [2] : *Dominus mihi adjutor, et ego despiciam inimicos meos ;* item *Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum.*" [3]

838. — 2. *Difficultas bene operandi.* — Tirones, Frater, bonâ sed tamen non forti voluntate Deo famulantes, ex difficultate quam in Dei servitio experiuntur " obstaculum inveniunt, quasi qui grave saxum volvit ; et inde affliguntur tam ex remorsu conscientiæ, quæ accusat eos torporis, quam ex dolore tardi profectûs et desiderio vitæ sanctioris. Quidam enim vellent habere bona opera, et non valent ad ea exsequenda se ipsos vincere, juxta illud [4] : *Velle mihi adjacet, perficere autem non invenio.*" [5] Inde ad murmurandum valde tentantur.

---

(1) n. 193.—(2) Ps. CXVII, 7. XVI, 3, XXVI, 3.—(3) DAVID AB AUGUSTA l. c. Lib. III, cap. 4, p. 172.—(4) ROM. VII 18.—(5) DAVID AB AUGUSTA l. c. c. V, p. 174.

839.— *Fastidium.*— Ex difficultate bene operandi sequitur tentatio fastidii, "quâ fastidit homo omne bonum, tædet eum orare, legere, meditari non invenit, tædet eum audire bona vel loqui, vel operari, vel interesse divinis, etiam quæ sine gravi labore facere posset." [1] Recole quid dixerimus de difficultatibus in oratione mentali occurrentibus. [2]

840.— *Impatientia contra Deum.*— "Si tiro, præcedenti difficultati statim non successerit, sequitur alia tentatio gravis, impatientia contra Deum, quare tam durus et immisericors sit tribulatio, quare tam parcus in dando gratiam egeno et tam anxie petenti et tam importune pulsanti." [3]

841.— *Cordis remissio.*— Si post multa desideria et labores Deus jam consolationem tironi non largiatur, tentatur ut quasi lassus remittat animum ab intentione quærendi. "Sub colore patientiæ desinit oculos attollere ad opes, quas habere se posse non videt, et cum indignanti humilitate cogitat se forte indignum tali gratiâ, quia forsitan aliud de illo præordinavit Dominus." [4] Hæc tentatio quam periculosissima est, Frater, nam incipientes hâc tentatione vexati sæpe ad consolationes creaturarum sensibiles se convertunt, et in Dei dilectione parum vel nihil proficiunt.

842.— EARUM CAUSÆ.— Hæ tentationes, quamvis varias habere possint causas, sæpe, nempe quando sunt probationes, Deum ut auctorem habent. Dominus enim eas justis immittit vel immittere permittit *a)* ut caritas hominis justificati probetur, *b)* ut a peccatis purgetur, *c)* ut in vitâ spirituali edoceatur, *d)* ut in praxi virtutum exerceatur et *e)* ut maximum caritatis impedimentum e medio tollatur.

a) Ut caritas probetur. Suspecta est virtus, quæ aliquo experimento probata non fuit, Frater. *Vasa figuli probat fornax, et homines justos tentatio tribulationis* [5]*; quia acceptus*

(1) DAVID AB AUGUSTA l. c. c. VI, p. 175.—(2) n. 156, seq.—(3) DAVID AB AUG. l. c. c. VII, p. 177.—(4) DAVID AB AUGUSTA l. c. c. VIII, p. 178.—(5) ECCLI. XXVII, 6.

eras Deo, ait Angelus ad Tobiam, [1] *necesse erat ut tentatio probaret te.* Quis enim credat ei qui grandia pollicetur, si operâ promissis fidem non tenet.

b) Ut a peccatis purgetur. Per se patet, Frater, pœnarum in purgatorio gravitatem durationemque fore secundum mensuram peccatorum et debiti pœnæ temporalis, quod mortis tempore luendum adhuc supererit. Et quamvis animæ ubi a corpore separantur, vehementissime ferantur amore in Deum, et ideo omnis inordinatus affectus, si quis in illis fuerit, extinguatur, et hâc de causâ omne peccatum veniale illis statim remittatur, Deus tamen huic remissioni conditionem apponit, scilicet ut luant pœnam. At tentationes pro peccatis perpetratis satisfaciunt; si quis olim turpi dilectioni indulsit, jam consolationes sensibiles contemnendo, pœnam subit quæ non parum confert ad peccata vitæ præteritæ delenda.

"Purgatur etiam, ait David ab Augusta [2], ut majoris gratiæ capax fiat, sicut vitrum obscurum tergitur, ut luminis amplius sit capax." Exinde augentur nostra merita: *ceteris paribus*, quo difficilius est opus peragendum, eo majus meritum. Auctis meritis, augetur pariter præmium, et pro quâlibet reportatâ victoriâ novos consequemur gloriæ gradus in æternum permansuros [3].

c) Ut in vitâ spirituali edoceatur. — Per tentationes, Frater, homo addiscit veritates quas alias cognoscere difficile potest: eruditur præsertim ædificium vitæ spiritualis non experientiâ consolationum, sed fiduciâ in Deo inniti. "Quidam rudes in viâ Dei, ait P. David ab Augusta [4], statim, cum subtrahi sibi sentiunt consolationis experientiam, animo concidunt, credentes Deum a se esse aversum; vel etiam in fide titubare incipiunt, an vera sint quæ de Deo senserunt; Exodus [5]: *Estne Deus in nobis, an non?* Vult autem Dominus erudire nos per subtractionem consolationis *inniti veritati Scripturæ*

(1) TOB. XII, 13. — (2) L. c. cap. 3. n. 2, p. 167. — (3) Cfr. De Spe, n. 380. — (4) Op. cit. Lib. 3. cap. 3, n. 4. — (5) XVII, 7.

et fidei, potius quam nostræ qualicumque experientiæ, quia fides non haberet meritum, si in soli experientiâ consisteret, et *spes*, quæ jam tenetur experientiâ, *spes non esset* [1]. *Per patientiam autem et consolationem Scripturarum*, potius quam experientiarum, *spem habeamus*, credentes, nunquam Deum averti a nobis per gratiam, quamdiu voluntas nostra a Deo non est aversa per consensum peccati vel torporem negligentiæ; Psalmus [2]: *Mandasti justitiam testimonia tua et veritatem tuam nimis.* Hæc sunt vera testimonia gratiæ Dei: justitia in voluntate et operatione, et veritas Dei secundum promissiones sacræ Scripturæ, quæ promisit nobis vitam æternam, si mandata ejus observemus."

d) Ut maximum caritatis impedimentum removeatur. Superbia, ut vitiorum omnium regina, sese maxime Dei dilectioni opponit. Quando autem homo spiritualiter consolatur, facile gloriatur de suis meritis, et sese ultra modum extollens in superbiam incidit. At per tentationum tribulationes. Deus animam monet ut humillimam diffidentiam habeat in seipsam et vires proprias, atque firmam et indubitatam confidentiam et fiduciam in Deum ejusque gratiam et auxilium divinum, et sic tollitur maximum caritatis impedimentum [3].

Uti vides, Frater, tentationes quæ ex tuâ negligentiâ culpabili minime proveniunt, tibi quam maxime proficuæ esse possunt. Signa dilectionis Dei sunt, et aptissima media ad caritatis perfectionem obtinendam. Quare cum nostro Jacobo Mediolanensi [4] exclamare possumus: "O miræ benignitatis Altissime, qui nos tentari permittis, non ut capiamur, sed ut timentes ad te, portum tutissimum, fugiamus. More bonæ matris facis, o Domine, quæ filium a se elongatum desiderans amplexari, per aliquod horribile sibi timo-

(1) Rom. VIII, 24; dein Rom. XV, 4. cfr. S. Gregor. II Hom. in Evang. hom. 26 n. 1. P. L. t. 76. col. 1197. — (2) Ps. CXVIII, 138. — (3) n. 368 seq. — (4) Jacobus Mediolanensis. *Stimulus amoris*, cap. VI. Ad Claras Aquas, 1905.

rem inducit et expandens brachia filium recipit fugientem, cum gaudio sibi arridet et oscula dulcia elargitur et, ne alias a se recedat, hortatur ut non accidat sibi male; consolatur ad se stringens, et demum ubera subministrat. O felix tentatio, quæ ad Dei Filii amplexus fugere nos compellis!".

843. — II. — ***Tentationes proprie tales*** etiam plurimæ inveniuntur; aliæ sunt contra fidem [1], aliæ sunt ad desperationem [2], ad voluptates, ad scrupulos, etc. "Si enim nullus medicorum omnes morborum corporalium varietates plene potest cognoscere; quanto minus spirituales morbos tentationum et passionum, quæ subtiliores sunt, valet aliquis discernere, nisi Spiritu Sancto plenissime illustratus" [3].

Hic pauca tantummodo dicemus *a)* de tentationibus ad luxuriam [4] et *b)* ad scrupulos.

844. — 1° TENTATIONES AD LUXURIAM. — Luxuria est inordinatus appetitus vel usus delectationis venereæ, et varios comprehendit actus, ut sunt pravæ cogitationes, desideria turpia, motus carnales, tactus, amplexus, oscula, aspectus et lectiones ad delectationem veneream inducentes.

Causæ: Tentationes ad luxuriam varias habere possunt causas, ait Joannes a Jesu Maria [5], scilicet:

a) Dæmonem: Quoad tentationes obscenas notandum est, inquit, eas esse gravissimas, et ceteris aliis periculosiores, idque ob carnis humanæ fragilitatem, qua ceu armis uti dæmon solet ad animam oppugnandam."

b) Concupiscentiam. — "Tentationes hæ suum interdum in naturali complexione, in hoc vitium pronâ, fundamentum habent, præsertim quando corpus molliter et delicate habetur et parum affligitur."

c) Deum eam permittentem. — "Alias, prosequitur idem

(1) Cfr. supra n. 359. — (2) Cfr. supra p. 377. — (3) DAVID AD AUG. l. c. cap. IX p. 180. — (4) Cfr. supra n. 524. — (5) JOANNES A JESU MARIA Carm. Discalc. oper. t. 2: *Schola de orat.* etc. Tract. de tentat. n. 7. p. 567. Coloniæ Agrippinæ, 1621.

auctor, a parte corporis vix ullum est fundamentum, quod nimirum ipsum male tractetur et extenuetur; quamvis alioquin infernali quâdam ipsum inardescere videatur concupiscentiâ. At tunc patet, tentationes has e singulari Dei providentiâ et nutu oriri, qui animam hanc purgare et promovere desiderat. Idem dicendum de illis Dei servis, quibus licet objecta desint, a quibus tententur, et ipsi se assidue in iis, quæ ad Dei obsequium spectant pro eo ac possunt exerceant, ne ullum tentationibus illicitis locum dent, gravissime tamen tentantur et affliguntur."

845. — 2° TENTATIONES AD SCRUPULOS. — Scrupulus est timor peccati ex inani apprehensione ortus. Itaque scrupulus naturâ suâ non est judicium sanæ mentis, sed est timor de peccato ortus ex inani apprehensione mentis perturbatæ.

Hic porro scrupulus vel est de præteritis, veluti cum aliquis ex conjecturis levibus anxiatur, ne unum atque alterum psalmum de divino officio omiserit, quia invenit se in fine unius, et non recordatur se priores recitavisse; aut ne turpibus cogitationibus consenserit, quia non meminit se restitisse; — vel de futuris ut, quum levi ratione ductus timet ne peccet agendo quod occurrit agendum, vel omittendo quod occurrit omittendum.

Differt tamen, Frater, conscientia scrupulosa a tenerâ, quæ etiam minimos defectus ut tales cognoscit, et propter reverentiam erga divinam Majestatem magni facit, probe tamen retentâ distinctione inter peccatum mortale et veniale.

846. — CAUSÆ. — Diversæ causæ adferri possunt, quæ tamen non omnes in omnibus scrupulosis inveniuntur, sed aliæ atque aliæ, modo in uno, modo in alio. Inveniuntur præcipue sequentes:

I. — ***Causa naturalis.*** — Prima causa est naturalis aliquorum complexio, multum disponens ad suspicionem et timorem, ut est complexio melancholica; — capitis debilitas et

infirmitas per quam læditur imaginatio ; — mentis seu judicii imbecillitas et inconstantia.

Hanc naturalem dispositionem adhuc nutrit *inordinatio* regiminis corporalis, scrupulosorum societas, et librorum, qui sunt nimis rigidi, lectio.

Inordinatio regiminis corporalis.—Per nimias enim abstinentias, vigilias et alia hujusmodi, homines debiles redduntur, tristes ac melancholici, ac deinde scrupulosi.

Societas scrupulosorum.— Facile enim qui jam timidioris est conscientiæ, conversando cum scrupulosis, similis eis evadit.

Lectio librorum.— Idem dicendum quando qui in exaggerationes propensi sunt, libros legunt, instructiones audiunt, quæ nimis sunt rigidæ.

II.— ***Deus.***— Interdum etiam Deus permittit aliquem scrupulis vexari, in majorem profectum spiritualem ipsius, ut inde sumat occasionem, tum aliis compatiendi, tum ad divinam opem et misericordiam recurrendi [1].

Scrupuli qui a Deo permittuntur, post aliquod tempus cessant, augent peccati horrorem, et animam Domino intimius conjungunt. Hic tamen advertendum est, Frater, Deum interdum permittere aliquem scrupulis vexari propter ipsius superbiam, quia suo judicio nimium fidit, neque vult confessarii aut alterius prudentis monitionibus acquiescere.

III.— ***Dæmon.***— Permittente Deo, scrupulos excitat, ut hominibus noceat, præsertim vero ut a divinis, ab oratione et ab usu sacramentorum eos avertat, et sic nocere intendit non solis incipientibus, sed aliquando etiam perfectis; nam, ut dicit B. Ægidius [2]: "Gratia magna in pace possideri non potest, quia semper ei oriuntur multa bella contraria. Quanto enim homo gratiosior fuerit, tanto plus a diabolo impugnatur."

---

(1) Cfr. De desperatione, n. 109. — (2) Dicta B. Ægidii Ass. cap. x, Ad Claras Aquas, 1905. p. 35.

His de tentationibus dictis, jam quærere possis: utrum utilius sit habere tentationes, an carere? Audi quid noster David ab Augusta respondit [1]: Hoc "solus rei exitus probat, quia *habere* eas et viriliter resistere, magnæ virtutis est; *superasse* vero et triumphasse de ipsis, gloriosum est; *carere* autem, commodius est et securius; *succumbere*, periculosum; *appetere* eas et sese ingerere, incautum, maxime infirmis et imperfectis; excitare se tamen ad pugnam spontaneam contra vitia spiritualia, contra iram, vanam gloriam, etc., aliquando utile est, ut qui inter illos morari eligit, qui eum persequantur et offendant, ut sic discat patientiam... De *carnalibus* autem vitiis hoc periculosum est et stultum, sed fugiendæ sunt eorum pugnæ."

C) **De remediis contra tentationes.**

847.— Trademus 1. communia in omnibus probationibus et tentationibus remedia, et 2. aliqua adversus tentationem luxuriæ et scrupulos specialia.

1° REMEDIA COMMUNIA.— Hæc communia contra tentationes remedia ad sequentia revocari possunt capita:

a) Oratio.— Primum est oratio, quia quicumque tribulatus est, ad eum recurrit, a quo juvari se posse sperat, ita ut, si ut quis se *afflictum compererit*, ad orationem, auxilii causâ, confugere debeat. "Semper quando senseris te... tentationibus impugnari, statim recurre ad Christum, ait S. Bonaventura [2]: *Fidelis est enim, ut faciat cum tentatione proventum* [3]; et dicas immediate [4]: *Adjuva me, Domine, Deus meus* [5], *ne discesseris a me; intende in adjutorium mihi, Domine Deus salutis meæ* [6]. *Libera me de inimicis meis fortissimis et ab his qui oderunt me, quoniam confortati sunt super me* [7]. *Pone me, Domine, juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me;* quia [8], *si consistant adversum me castra, non timebit cor*

(1) L. c. cap. XIII, p. 186. — (2) *Regul. nov.* cap. XI. — (3) I COR. X, 13.— (4) Ps. CVIII, 26. — (5) Ps. XXXVII, 22 seq. - - (6) Ps. XVII, 18. — (7) JOB. XVII, 3.— (8) Ps. XXVI, 3.

meum. Et cogita statim quia per peccatum privatur quis inæstimabili gloriâ Beatorum et condemnabitur ad horribilia et infinita supplicia damnatorum."

Si tentationis tempore tibi durum videtur orationi incumbere, Frater, memento B. Ægidii [1] verborum, qui Fratri talem difficultatem habenti respondit: "Ecce rex quidam, qui habet duos servos, quorum unus est armatus, alter vero inermis, et isti habent committere bellum. Armatus procedit viriliter ad bellum, alter vero inermis sic loquitur domino suo: Domine, sicut vides, arma non habeo, sed propter amorem tuum procedam ad prælium etiam sine armis. Videns autem rex fidelitatem illius servi, ait ministris suis: Ite, præparate arma, quibus hic servus meus fidelis adornetur, et ponite in eo signum armorum meorum.—Si quis etiam vadit ad prælium orationis quasi sine armis, quia sentit se aridum et indevotum, Deus videns fidelitatem ejus, ponit in eo signum armorum suorum."

b) Memoria passionis Christi.—"Si tentatio adhuc prævalet, ait seraphicus Doctor [2], cogita de acerbissimâ passione Jesu Christi... Ipsa est enim armatura contra hostes, de quâ Apostolus [3]: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli;* et merito, quia nulla est efficacior medicina per quam citius inimicorum exercitus depelletur. Ideo dixit Petrus [4]: *Christo in carne passo, et vos eâdem cogitatione armamini.*"

"O tentate! exclamat noster Jacobus Mediolanensis [5], hæc vulnera (Christi Domini) quotidie meditare; hæc semper erunt tibi refugium et solamen. Nec dubites, quod si bene ea in corde tuo impresseris, nullus tentationi aditus apparebit."

c) Humilitas.—Nullum subsidium efficacius quam tempore tentationis sese coram divinâ majestate humiliare. Et uti

(1) L. c. p. 37. — (2) L. c. n. 2. — (3) EPHES. VI, 11. — (4) I PETR. IV, 1.— (5) *Stimulus amoris.* Ed. ad Claras Aquas. 1905, cap. 6. p. 29.

B. Ægidius ait [1]: "Si possemus nos habere unam molem gravem, quæ faceret nos semper capita inclinare!" certe tentationibus nunquam superaremur. Audi ergo quid Jacobus Mediolanensis de tentationibus tractans doceat [2]: "Non enim sibi (Deo) placet præsumptio aliquorum, qui se justos reputant et ad ipsum Altissimum tamquam ad familiarem amicum accedunt. Vult enim, ut quantumcumque magnus se miserum et quasi nihil reputans, ad ipsum veniat cum peccatorum suorum confusione, et omni reverentiâ et timore. Et magnum, imo permaximum reputet quantuscumque, si ipsum immensus noster Deus dignatur saltem a longe intueri."

d) Invocatio B. M. Virginis.— Tenera devotio erga Beatissimam Virginem te multum juvabit, Frater, tribulationis et tentationis tempore. "Si autem contra te etiam Christum propter tuas nequitias videris indignatum, ad spem peccatorum refugias, matrem tuam, et ipsi tamquam Matri Dei reverentiam exhibebis, et fusis lacrymis ejus auxilium postulabis. Et si perseveraveris non quiescens, non dubites quod ab eâ quod volueris salutiferum impetrabis. *Secum enim crevit miseratio* [3], et sibi miseris satisfacere ex officio est commissum [4]; et quod cum magnâ diligentiâ exercet communiter erga omnes, tibi non poterit denegare." [5]

e) Vigilantia.— Cogitationes averte a rebus quibus tentaris, et alias occupationes assume, quibus oblivisci possis impugnationis. Hæc ante omnia observa, Frater, quando tentationes subito et impetuose te invadunt. Tales enim diabolicæ impugnationes, potissimum cum castitati insidiantur, quam periculosissimæ sunt, et non solum incipientes, sed in caritate perfecti, si sibi non attendunt, his tentationibus, quasi ventis validis, e statu gratiæ evelli possunt. Quâ de causâ, Frater, esto tunc prudens ac vigilans; com-

(1) L. c. cap. 4, p. 12.— (2) L. c. p. 30.— (3) Job. xxxi, 18.— (4) Cfr. de devotione erga B. M. V. n. 216 seq.— (5) Jacobus Mediolanensis, l. c.

menda te Christo Jesu, cum Apostolis clama : *Domine, salva nos, perimus.* Etsi jam deficere videris, Frater, et dæmon tibi hæc vel similia verba suggerit : "jam lapsus es, jam gratiâ defrauderis," rogo te, Frater, ne animum despondeas, sed ex intimo corde actum contritionis elicias, veniam preceris, ac demum cum fiduciâ spiritum reassumas, necesse est.

f) Constantia et patientia.— Fiducia firma in Deo semper ponenda est, Frater [1]. Si nullo modo te videris consolari, tentationes tibi semper insidere : scito hoc Deus permittere ut tentatus "excitetur ad orationis studium, et confugiat ad Dominum, et experiatur ejus auxilium, et ad ejus exauditionis solatium amplius in ejus amorem exardescat, et sic tam in merito virtutum quam in fiduciâ dignationis ejus excrescat. *Sic diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* [2] tam prospera quam adversa." [3]

g) Directio spiritualis.— Omnes etiam in caritate perfecti, et quamvis ipsi sint viri doctissimi, tempore tentationis directoris spiritualis consilium petant omnino necesse est. Inveniuntur enim tentationes fraudulentæ, ait P. David ab Augusta [4], "quæ sub specie boni se palliant, licet quosque rudes et stultos decipiant, qui *nondum cognoverunt altitudinem Satanæ* [5], id est astutias ejus, tamen singulariter perfectis et bene proficientibus insidiantur : — Psalmista [6] : *In viâ hâc quâ ambulabam, absconderunt laqueum mihi.— Ipse Satanas transfigurat se in angelum lucis.* Si enim eis in suâ figurâ appareret, quæ turpis est, horrerent eum et fugerent ; si aperte impugnaret eos, resisterent ei, et auxilio Dei fugarent eum et vincerent, et sic nihil apud eos proficeret... Venit ergo Satanas in specie boni angeli... Et ut facilius recipiatur ejus persuasio, primo sola bona proponit, postmo-

(1) Cfr. de Fide n. 361 seq. et de Spe n. 380 seq. — (2) ROM. VIII, 28.— (3) DAVID AB AUGUSTA l. c. c. XIV, 2. p. 190, seq.— (4) L. c. cap. XIII, 2. p. 187, seq.— (5) APOC. II, 24.— (6) PS. CXLI, 4, sequitur II COR. XI, 14.

dum mixta malis, tandem falsa bona, sed vera mala, postremo cum irretierit eos et illaqueaverit insolubiliter, aperte caput venenatum erigit et in aperta peccata eos dejicit, sicut scorpius, qui blandam faciem habet et caudam venenosam, cum quâ occidit." Si directori semper tuas aperueris tentationes, si semper ejus petieris consilium, tibi remedia usurpanda indicabit, Frater, ut astutias diabolicas aufugere possis. Dein variæ sunt tentationes quæ absque directoris spiritualis consilio curari nequeunt, ut optime docet Joannes a Jesu Maria [1]: "Cum enim variæ sint tentationes, ait, varias etiam jam inde a principio directiones habere oportet. Sunt enim tentationes quæ naturâ suâ requirunt ut tentati ad tempus ab oratione et aliis exercitiis mentalibus abstineant, utque comedant et dormiant, ne in quamdam tum spiritualem, tum corporalem ægritudinem, quæ quodammodo irremediabilis sit, incidant."

848. — 2. ***Remedia specialia contra tentationes luxuriæ.***— Particularia tentationum hujusmodi, præter generalia illa, in hâc materiâ fidelissime et diligentissime executioni mandanda, sunt etiam sequentia.

a) Fuga. Ubi primum tentatio tibi insidet, eam declina, nam delectatio luxuriæ appropinquantes sibi accendit ut ignis, secundum verbum Job [2]: *Ignis usque ad perditionem devorans.*

b) Castigatio corporalis, observando sedulo jejunia, cilicia et corporales afflictiones in ordine vigentes, sed semper tamen e directoris spiritualis consilio. At quando corpus est extenuatum vel morbidum, ab hisce remediis omnino abstinendum est, sed ad spiritualia recurrendum, et tanto majori curâ ac diligentiâ quanto minus corporalia suscipi possunt.

c) Occupatio. Ita te occupa, Frater, ut cogitationi vix locus relinquatur. Occupatio talis erit qualem sanitas et

(1) L. c. n. 3. Op. t. II, p. 566.—(2) XXXI, 12.

status ejus qui tentatus est permittit, ut legendi, scribendi, vel negociandi, vel manuale opus exercendi; opera tamen manualia, cum sine magno labore aliquando exerceantur, vel aliquam intensiorem mentis applicationem non exigant, hujusmodi cogitationes vix excludunt. [1]

d) Sacra Communio. — Aliud remedium est sacram communionem eâ intentione frequentare, ut ejus adminiculo contra tentationes robur colligatur; in quo confessarii vel magistri spiritualis consilium interveniat oportet [2].

849. — 3. ***Remedia specialia contra scrupulos.*** — Qui scrupulis laborat, sed nescit eos esse scrupulos, non potest contra eos agere, quia ageret contra suam conscientiam, quod numquam licet; sed quando cognoverit scrupulos esse, non solum potest, sed tenetur contra eos facere. Etenim, Frater, cum scrupulus sit inanis apprehensio et vanum dubium, non est proprio sensu conscientia, et cum ejus timor sit vanus, prorsus spernendus est.

Varia *signa* suppeditant theologi [3], quibus judicare possis scrupulosamne annon conscientiam habeas, nempe:

a) Si putas te peccare in iis rebus, in quibus homines pii, docti et timoratæ conscientiæ nullum peccatum reperiunt.

b) Si judicio confessarii vel directoris non acquiescis, identidem, circa eamdem rem consilium quæris, varios confessarios consulis et nulli acquiescis.

c) Si continuo tua peccata examinare cupis.

d) Si in confessione peragendâ eadem sæpe repetere velis, aut sine ullo prudenti motivo times semper ac quæris rectene dolueris, omniane dixeris.

e) Si confessario vel directori prudenti et docto asserenti actionem esse licitam aut fidem non habes, aut nonnisi difficulter et cum timore et anxietate acquiescis.

---

(1) Cfr. JOANNES A JESU MARIA, l. c. n. 9, p. 567.—(2) Cfr. JOANNES A JESU MARIA, l. c. — (3) Cfr. TIMOTHEUS a PODIO-LUPERIO, op. cit. t. 1. p. 132.

f) Quandoquidem res ita est ut homo persæpe non possit judicare utrum sit scrupulosus an solummodo timoratus, et aliquando verus scrupulosus nullo modo credere velit se esse scrupulosum, nil aptius est ad hanc acquirendam cognitionem quam Deum orare, et deinde suæ conscientiæ cruciatus et inquietudinem viro prudenti patefacere, et ejus decisioni sese submittere.

Si director tuus spiritualis te arguit scrupulorum vitio, sequentia observa remedia.

1° *Ante actionem* oportet ut non judices aliquid esse peccatum, nisi *absque deliberatione* certo et evidenter cognoscis rem esse peccatum, et *post actionem* ut non judices te commisisse peccatum, nisi *absque examine* evidenter scis te consensisse.

2° Si scrupulis ex melancholiâ provenientibus labores, Frater, parcus debes esse in meditandis et imaginandis illis quæ tristitiam causare vel augere possunt, et propterea terroribus inferni, vel judicii cogitandis indulgere non debes, sed ejusmodi solum mediteris juxta præscriptum directoris spiritualis, quæ inserviunt ad Deum corde hilari laudandum.

3° Causas scrupulorum omnino et maximâ cum curâ vitare debes [1].

4° Consilium S. Ignatii [2] ad unguem observes etiam necesse est, nempe ut semper procedas modo contrario ei quo procedit dæmon, scilicet si inimicus tentans te laxiorem reddere intendit, procures reddere te delicatiorem; similiter si inimicus te delicatiorem reddere satagit ut in extremum deducat, te firmare in *medio* velis ut omnino quietum te reddas.

Merito in hunc locum notat P. Roothaan: "Qui relaxat conscientiam, cum eam quærit dæmon nimium restringere, si ultra *medium* in eâ relaxandâ se dissolvat, gravissimum

(1) Cfr. supra n. 846.— (2) Reg. de scrup. 5. *Exerc. spirit.* Ed. Paris. 1865. p. 196.

incurrit periculum, ne illud ipsum malum impingat, quo inimicus eam per illas ipsas angustias conatur tandem pertrahere: id quod etiam tristis plurimorum scrupulosorum comprobat experientia."

5° Demum sequere optimum sive doctis sive indoctis, contra quoscumque scrupulos, remedium, directori prudenti et docto crede et obedi, non obstante *quâcumque ratione* in contrarium occurrente. Unicum hoc remedium sufficiet si tentatus generose, ut par est, illud exsecutus fuerit.

Sed jam alia, nempe proficientium exercitia, indicanda sunt.

ART. II.— De viâ illuminativâ.

850. —Secundus perfectionis gradus, qui est proficientium, comparatur medio studio viæ percurrendæ, quia post recessum ab uno termino, sequitur tendentia et appropinquatio ad alium.

Sensus enim et passiones mortificando, et variis tentationibus viriliter resistendo, justificatus a statu peccati mortalis jam longe discedit, et licet ad unionem cum Deo modo perfectissimo non pervenerit, perfectius tamen quam in viâ purgativâ ad eam appropinquat.

Perfectio *intrinseca* vitæ christianæ in viâ illuminativâ, habetur, sicut in viâ purgativâ, per *caritatem communem*, sed cum aliquo perfectionis gradu [1].

"Homo voluntate pleniori et affectu ferventiori non solum communia contentus est præcepta servare, *sine quibus non est salus*, sed etiam ad omnia quæ Dei sunt, studiosus est et voluntarius, tam faciendo in se quam in aliis promovendo et desiderando." [2]

---

(1) Cfr. S. THOM. 2. 2. q. 184, a. 2.—(2) DAVID AB AUG. o. c. cap. 33, n. 4. p. 229.

Perfectio autem *extrinseca*, quando caritatem habens per exercitationem virtutum tali modo habitualiter disponitur ut caritas apta sit prompte, constanter et delectabiliter peccata venialia deliberata et plurimas imperfectiones vitare, ita ut ad virtutes augendas per se maxime intendat. Unde si peccata venialia difficile vitantur, et frequenter committuntur, quia et temporalia multa delectant, et mens variis phantasmatibus, et cor multis desideriis facile agitatur, nondum perfecte via illuminativa percurritur [1]. Plerisque hominibus ista via durat, ait Suarez [2], " vel toto vel majori vitæ tempore."

851. — EXERCITIA. — Hic perfectionis gradus sub duplici adspectu considerari potest, utpote qui *a termino discedit*, vel *ad terminum* seu finem *procedit*.

Sub priori adspectu hic gradus consistit in *confirmatione* statûs gratiæ per varia media spiritualia; sub posteriori vero, in conformatione vitæ ad Christum per praxim virtutum.

Unde varia inveniuntur exercitia qui ad hunc duplicem scopum attingendum ordinantur, et ita inter se connexa sunt ut se mutuo adjuvent: qui enim statum gratiæ magis stabilit, eo ipso se magis Christo conformat; qui vero per praxim virtutum se magis Christo conformat, etiam magis statum gratiæ confirmat.

Uti vides, Frater, studium cui proficientes maxime incumbere debent, est praxis virtutum. Sed omnium virtutum fundamentum est humilitas. De humilitate igitur hic specialius est agendum. Et quamvis hæc virtus etiam ad incipientes, imo et ad perfectos spectet, ob rationem allatam, de eâ hoc loco tractabimus. Unde 1° de confirmatione statûs gratiæ, 2° de conformatione vitæ ad Christum et 3° de humilitate, ut de præcipuo viæ illuminativæ studio.

---

(1) Cfr. SUAREZ o. c. Tr. 4, L. 2, cap. 11, n. 3. — (2) L. c.

§ I. — *De confirmatione statûs gratiæ.*

852. — Sicut in viâ purgativâ, anima potissimum attendere debet ne in eumdem morbum incidat, ita in via illuminativa adhuc etiam curare tenetur ut vires suppeditet. Sanitas animæ autem consistit in rectitudine tum intellectûs, tum voluntatis, et in subjectione partis inferioris parti superiori atque in rectâ ordinatione actionum. Unde varia media inveniuntur.

1. — Ad intellectûs instructionem.
2. — Ad voluntatis directionem.
3. — Ad sensuum et passionum subjectionem.
4. — Ad rectam actionum ordinationem [1].

NOTANDUM CIRCA EXERCITIA SPIRITUALIA.

853. — Varia hæc exercitia seu instrumenta jam antea explanavimus, Frater, et in Ordine Seraphico sufficiunt ad profectum spiritualem obtinendum, imo ad unionem cum Deo quam perfectissime operandam.

Profectus noster, ut Franciscanorum, non consistit in multiplicatione operum extraneorum atque sublimium, nec in multitudine exercitiorum pietatis quæ apud nos usu non veniunt, sed in exercitiis per Regulam, constitutiones et usus Provinciæ stabilitis; et in his bene, perfecte et secundum virtutem exercendis.

§ II. — *De conformatione vitæ ad Christum.*

854. — Conformatio vitæ nostræ ad Christum, Frater, maxime perficitur per virtutum exercitationem. Virtutes jam omnes in specie traditæ sunt, egimus enim:

1. — De virtutibus theologicis.
2. — De virtutibus moralibus.
3. — De donis Spiritûs Sancti.

(1) Cfr. n. 306 seq.

855. — NOTANDUM CIRCA VIRTUTUM EXERCITATIONEM. — Si in perfectione crescere desideras, cave, Frater, ne, virtutes colendo, specie virtutis decipiaris.

Sunt enim varia virtutum tegumenta uti habitus exterior; exteriores cæremoniales observantiæ, ut inclinationes tempore divini officii; mores exteriores compositi, opera pœnitentiæ, ut flagella [1] et alia, de quibus jam tractavimus. Hæc vero tegumenta virtutem exteriorem demonstrant, sed virtutem interiorem non probant. "Omnia enim quæ in observantiâ religionis apparent, inventa et statuta sunt propter obtinendas et conservandas virtutes. Cetera sine virtute sunt sicut testa carens nucleo. Et sicut in tabernaculo fœderis plura erant velaminum genera inter se protegentia vel decorantia Sanctuarium, scilicet pelles hyacinthinæ, pelles arietum rubricatæ, saga cilicina, cortinæ et tabulæ parietum præter alia [2]; ita et in Religione plura sunt virtutis tegumenta vel ad decorem vel ad custodiam virtutis ordinata, in quibus non *pura* virtus consistit, sed quædam virtutis umbra et latentis intrinsecus demonstratio figuralis. Unde qui istis exterioribus contentus interiora postponit, hic est quasi qui corticem vel testam vacuam sine nucleo habet [3]."

Quapropter recole, Frater, quid antea de *rectâ intentione* dixerimus [4], et cura diligenter ut semper virtutes ob motivum honestum, maxime vero ob motivum ipsius caritatis exerceas.

§ III. — *De præcipuo studio viæ illuminativæ seu de humilitate.*

856. — Tres virtutes theologicæ et quatuor virtutes morales, "septenarius iste virtutum numerus plenitudinem

(1) Cfr. DAVID AB AUGUSTA, l. c. cap. XXIX, p. 218. seq. — (2) Cfr. EXOD. XXVI, 1. sq. — (3) DAVID AB AUGUSTA, o. c. cap. 28, n. 4. p. 217. — (4) Cfr. n. 307 seq.

septiformis gratiæ suis executoribus adducit, per quam vitiorum compago dissolvitur, corpus diaboli superatur, et per semitam justitiæ fons et origo omnium virtutum aditur." Hæc sunt verba Hugonis a S. Victore [1]. Attamen, prosequitur idem auctor, omnium virtutum fundamentum est humilitas. Hæc non tantum Hugonis, sed et omnium Patrum spiritualium sententia est. Maxime igitur interest, Frater, ut sedulo in studio hujus præclarissimæ virtutis incumbas.

Ad materiam humilitatis clare exponendam dicemus A) de ejusdem naturâ et B) de gradibus; dein C) quomodo fundamentum sit totius perfectionis christianæ, et demum D) quibus mediis acquiratur, et E) quomodo practice exercenda sit ut magis in perfectione proficiamur.

857.— A) **De naturâ humilitatis.**— Ad naturam humilitatis accurate addiscendam, inquirendum est 1. quid sit humilitas, 2. quinam sint ejus actus, 3. quænam conditiones requirantur ut vilificatio sui vere actus sit virtutis et 4. rectæ rationi et veritati consentaneus. Unde videre licebit 5. discrimen inter servum Dei humilem et superbum.

858.— 1° ***Quid est humilitas?***— Humilitas sub vario respectu considerari potest: *Physice:* humilitas *(nederigheid)* est status illius entis quod humo hæret et vix supra ascendit: et sic dicitur violam habere humilitatem.

Moraliter humilitas est: *a)* vel conditio vilis et inops, et quod affine huic est, tribulatio et depressio ab alio *(vernedering)*, et sic dicitur mancipium habere humilitatem; *b)* vel conditio quâ quis seipsum deprimit sive *contra rationem (laagheid)*, v. g. peccando ad gratiam alterius capiendam, sive *juxta rationem (ootmoedigheid)*, et sic sumpta humilitas est virtus, nisi externe tantum fit et est falsa humilitas seu pessima superbia [2].

(1) O. c. *De fructibus carnis et spiritus*, cap. 1. P. L. t. 176. col. 998.—
(2) Cfr. Ill. WAFFELAERT, Tract. *de Virt. Card.* n. 224. Brugis, 1894, p. 346.

859.— Definitio.— Humilitas fere unanimiter a Sanctis Patribus definitur " virtus qua homo verissimâ sui cognitione sibi ipsi vilescit, et juxta rectam rationem seipsum deprimit [1]."

860.— 2° Ex ipsâ definitione liquet, Frater, actum humilitatis esse VILIFICATIONEM SUI, tam interiorem quam exteriorem.

Vilificatio interior vocari potest *humilitas veritatis*, et consurgit in homine ex consideratione suæ nihilitatis, " et hæc non tantum reperitur in hominibus, verum etiam in angelis, non tantum in viatoribus, verum etiam in Beatis [2]."

Vilificatio exterior, qui " potest dici *humilitas severitatis*, quæ consurgit ex consideratione culpæ; qua, dum homo per elationem cogitat se esse demersum, severâ quâdam censurâ per humilitatem consurgit adversum seipsum, se vilificando non tantum interius in oculis propriis, verum etiam *exterius* in oculis alienis [3]."

Uti vides, Frater, humilitas consistit non tantum in *cognitione* veritatis, sed et in *affectione* voluntatis. Oportet enim ut homo suam nihilitatem agnoscens, ulterius ad affectum progrediatur. Peccatores enim sæpius humiliantur ab ipsâ veritate, quâ convicti malos se esse cognoscunt, sed tamen mali nolunt ab aliis reputari, nec despici, sed potius tamquam justi vano honore affici, et quos humiliavit veritas, misere extollit vanitas. Quemadmodum Saul [4] Samueli dicebat: *Peccavi, sed honora me coram senioribus populi mei.* In eo quod dixit: *peccavi*, humiliavit eum veritas; in eo vero quod subjunxit: *Honora me coram senioribus*, extulit eum propria superbia et ambitio honoris.

---

(1) S. Bernardus. *De gradibus humilitatis* cap. 1. n. 2. P. L. t. 182, col. 942, apud S. Bonavent. *De perfect. ad Sorores*, cap. 2. et Ill. Waffelaert. l. c. — (2) S. Bonaventura. Quæstiones disputatæ. *De perfectione Evangelica.* Quæstio 1. Op. T. V. p. 122.— (3) S. Bonav. l. c. — (3) I Reg. xv, 30.

861.— 3° CONDITIONES AD ACTUM HUMILITATIS REQUISITÆ.— Vilificatio sui, ut actus sit virtutis, varias requirit conditiones. Oportet enim, ait S. Bonaventura [1], ut in eâ attendatur debitus *ortus* et *modus* et *fructus*.

862.— *a) Ortus*.— Humilitas exterior procedere debet ab humilitate interiori et quidem secundum regulam divinæ voluntatis. At, juxta doctrinam Seraphici Doctoris [2]: "Hoc potest fieri secundum legem divini *præcepti*, vel divini *complaciti*, vel divini *consilii*. *Præceptum* universaliter omnes respicit; *complacitum* respicit eos quibus divina voluntas specialiter inspiratur; *consilium* vero eos qui ad culmen perfectionis ascendunt." Et sic invenitur triplex humilitatis modus seu gradus, et actus exterior uni ex his tribus conformis sit, omnino necesse est. De hoc triplici humilitatis modo seu gradu infra fusius dicetur.

863.— *b) Modus* autem humilitatis exterioris est, prosequitur Seraphicus Bonaventura [3], ut servetur in eo *virilitas*, *veritas et honestas*.

principaliter attenditur ad episcopos, ait S. Thomas, [1] qui comparantur ad eos, sicut perfectores ad perfectos... Unde ab episcoporum obedientiâ nec eremitæ, nec etiam prælati religionum excusantur. Et, si a diœcesanis episcopis totaliter, vel ex parte sunt exempti, obligantur tamen ad obedientiam Summo Pontifici, non solum in his, quæ sunt communia aliis, sed etiam in his quæ specialiter pertinent ad disciplinam religionis." Obligatio autem obediendi Ecclesiæ magisterio in tantum urget religiosos "quod Papa in voto obedientiæ non potest sic cum religioso dispensare, ut nulli prælato teneatur obedire in his quæ ad perfectionem vitæ pertinent: non enim potest eum a suâ obedientiâ eximere." [2] Et inde facile perspicitur, Frater, quomodo obedientia religiosa jam in primâ ætate possibilis fuerit anachoretis, qui satis proprio ducebantur arbitrio, et quomodo in ipsis superioribus religiosis locum habere possit.

Jurisdictio delegari potest. — Attamen Ecclesia non infallibilitatis charisma, sed suum imperium delegare potest, et certis et determinatis personis concedere jurisdictionem ad urgendum ut fideles in quocumque statu sive communi, sive perfectionis sese submittant normæ ab ipsâ præscriptæ.

941. — *b)* OBEDIENTIA VITÆ CŒNOBITICÆ. — Admissâ formâ vitæ cœnobiticæ, mox obedientiæ essentiali accessit altera, quâ quis renuntiat propriæ voluntati, ut sese mancipet et tradat privatæ et domesticæ potestati superioris, et sic sub probato magistro et medico militet et exerceatur ad perfectionem acquirendam.

His de obedientiâ dictis, clare perspicitur, Christum juveni dicendo: *Veni, sequere me,* eum et omnes ad perfectionem anhelantes exhortari ad obedientiam præstandam magisterio Ecclesiæ non solum in iis quæ sunt ad salutem necessaria, sed etiam ad perfectionem, imo et ad obedientiam specialem, casu nempe quo quis vitam elegerit cœnobiticam.

(1) 2. 2. q. 186, a. 5 ad 3.—(2) S. THOM. 2. 2. q. 186, a. 8 ad 3.

B. — Christus fideles ad tria consilia simul observanda exhortatus est.

942. — Dominus adolescenti dicendo [1]: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me,* promulgavit statum religiosum quoad suam vivendi normam, observationem trium consiliorum evangelicorum essentialiter continentem. Etenim Jesus ibi ad paupertatem et obedientiam provocat juvenem explicite, et ad castitatem *implicite.* Dico *implicite,* nam status conjugalis sine bonis temporalibus decenter sustineri nequit. Suadens ergo juvenem ut omnia bona sua abjiciat, eum implicite ad castitatem invitat.

C. — Christus fideles exhortatus est ad statum perfectionis acquirendæ voto firmandum.

943. — Dominus adolescentem ad suam sequelam invitans, eum ad hanc vivendi normam voto perpetuo stabiliendam implicite excitat, Etenim ita Christus ad sui exhortatur sequelam ut excludat omnem voluntatem libertatis prioris. *Nemo,* ait, [2] *mittens manum suam ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei.* "Et licet ibi non sit sermo de statu religioso in speciali, nihilominus, ait Suarez, [3] ex ipsâ generali sententiâ Christi sumitur optima dictæ perpetuitatis ratio. Nam in universum Christi vocatio ad sequendum, sive per fidem et amorem, sive per viam consiliorum et perfectionis, talis conditionis est, ut non permittat retro respicere, nedum ab eâ divertere et retrocedere. Ergo sicut status vitæ christianæ de se postulat perpetuitatem; ita etiam status vitæ religiosæ, servatâ proportione." — "Hæc autem immobilitas sequelæ Christi, ait S. Thom. [4],

(1) MATTH. XIX. 21.—(2) LUC. IX, 62. — (3) L. c. L. 2. cap. 3, n. 4.— (4) 2. 2. q. 186, a. 6 ad 1.

firmatur per votum. Et ideo votum requiritur ad perfectionem religionis." Et Christus fideles ad tria consilia observanda invitans, eos incitat ad votum perpetuum emittendum.

D. — Christus motiva fidelibus proponit ut eos ad suam arctam sequelam exhortetur.

944. — Dominus Jesus ut animum fidelium erigat et ad tam arctam sequelam invitet, varia allegat motiva impellentia, nempe :

a) præmium et *b) dignitatem novæ vitæ.*

a) PRÆMIUM speciale jam in hâc vitâ, thesaurum in cœlo et vitam æternam pollicitus est Dominus iis qui vitam consiliorum amplecturi erant : "Viden' quot bravia, quot coronas huic stadio tribuit ? exclamat S. Chrysostomus [1]. Si vero tentasset, non hæc illi (juveni) dixisset. Nunc autem et dicit, et ut illum attrahat, magnam ipsi mercedem ostendit, totumque ejus voluntati relinquit, sub umbrâ quâdam relinquens ea quæ in hâc admonitione gravia esse videbantur... quia enim de pecuniis sermo erat, illumque hortabatur, ut se omnibus exspoliaret, ostendens non sua sibi auferri, sed augeri, etiam plura illi dat, quam ipse præbere juberetur ; neque plura modo, sed tanto majora quanto magis cœlum quam terra est ; imo quid ulterius. Thesaurum autem appellat, præmii præstantiam, stabilitatem, securitatemque ejus declarans, quantum per humana subindicare poterat audienti."

b) DIGNITAS NOVÆ VITÆ. — Per observationem consiliorum religiosus *Christi consortio fruitur !* qualis dignitas ! Hæc consummatio perfectionis est.

(1) Hom. 63 (alias 64) in Matth. P. G. t. 58, col. 604. seq.

§ II. — *Per auctoritatem Ecclesiæ catholicæ.*

945.— Antiqui Patres communiter docent, Frater, Christum Christianorum vitam et statum in duos ordines distribuisse; unum profitentium communem viam mandatorum, ut sunt conjugati; alium profitentium altiorem et evangelicam vitam, id est religiosam. "Duplex enim est via in vitâ, ait S. Athanasius [1], alia quidem inferior vulgariorque, matrimonii scilicet; alia vero angelica et suprema omnium, nempe virginitatis", id est monasticæ vitæ. Unde vitam religiosam S. Chrysostomus [2] vocat *philosophiam a Christo introductam*, et Christum *ducem* et institutorem hujus vitæ salutaris omniumque virtutum [3]. His et similibus verbis loquuntur ceteri Patres [4]. Hâc ratione ducti plurimi eorum sibi ipsis statum elegerunt religiosum, et fideles ad hunc amplectendum exhortati sunt diligenter. Audi S. Augustinum [5] dicentem: "Ego qui hæc scribo, perfectionem de quâ Dominus locutus est, quando ait diviti adolescenti: *Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo; et veni, sequere me* [6], vehementer adamavi, et non meis viribus, sed gratiâ ipsius adjuvante sic feci.

Neque enim quia dives non fui, ideo minus mihi imputabitur: nam neque ipsi apostoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui et illud quod habet, et quod optat habere, dimittit. Quantum autem in hâc perfectionis viâ profecerim, magis quidem novi ego, quam quisquam alius homo, sed magis Deus quam ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios exhortor,

(1) *Epist ad Amunem*, P. G. t. 26, col. 1174.

(2) Homil. 17, *ad popul. Antioch.* P. G. t. 49, col. 174.

(3) *Compar. regis et Monach.* P. G. t. 47, col. 392.

(4) Cfr. v. g. S. BASILIUS, *Sermo de renunt. sæculi*, P. G. t. 31, col. 627,—*Reg. 6 inter fusiores.* P. G. t. 31, col. 926,—S. AUGUST. *Epist, ad Hil. Syrac.* P. L. t. 33, col. 686, 689, 692, et alii apud Suarez l. c. l. 3, c. 2. n. 4.

(5) L. c. col. 692.

(6) MATTH. XIX, 21.

et in nomine Domini habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persuasum est: sic tamen ut præcipue sana doctrina teneatur, nec eos qui ista non faciunt, vanâ contumaciâ judicemus."

Merito igitur *scholæ catholicæ* semper cum S. Matre Ecclesiâ [1], statum religiosum a Christo suam ducere originem semper consensu tenuerunt unanimo.

946.—COROLLARIUM.—Non admittendum igitur est jam monachos ante Christum exstitisse, et spernenda est sententia incredulorum et nonnullorum Protestantium [2], qui non verentur affirmare vitam religiosam a paganismo originem suam habere.

Absque ullo dubio, Frater, ascetæ A) omni tempore exstiterunt, B) fere eadem opera pœnalia sibi imposuerunt, sed tamen C) essentialiter ab invicem distinguuntur.

947.—A) ***Ascetæ omni tempore exstiterunt,***

Tum *a)* in verâ quam *b)* extra veram religionem, imo et in *c)* paganismo.

a) IN VERÂ RELIGIONE, ante Christum inveniuntur inter alios prophetæ [3], et Rechabitæ [4].

Prophetæ.— Hi, uti Apostolus docet [5]: *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti; quibus dignus non erat mundus; in solitudinibus errantes, in montibus, et speluncis, et in cavernis terræ;* et tam perfectam ducebant vitam ut S. Basilius [6], Cassianus [7], S. Hieronymus [8], Eliam,

(1) Cfr. Encycl. "*Quanta Cura*" PII IX, DENZ. n. 1541; — *Lettres de Léon XIII, à S. E. le cardinal Richard* 23 Déc. 1900, et à l'évêque de Baltimore "*Testem*" 22 Janvier 1899. — *Aux supérieurs des instituts religieux*, 29 Juin 1901.— (2) Cfr. v. g. HILGENFELD. *Der Essaïsmus und Jesus.* Zeitschrift für Wissensch. Theol. 1867, p. 97, *der Ursprung der Mönchstums*, ibid. 1878, p. 139, WEINGARTEN ad verbum *Mönchtum* in Realen encyklopädie für Protestantische Theolog. etc.—(3) IV REG. I, 8, Jos. XX, 2, ZACH. XIII, 4.— (4) JEREM. XXXV, 1-10.— (5) HEBR. XI, 37, 38.— (6) *Epist. ad Chilonem*, n. 5, P. G. t. 32, col. 358.— (7) *Collat.* 18, cap. 6, P. L. t. 49, col. 1101.—(8) *Ad Paulinum*, P. L. t. 22, col. 583.

Elisæum, sed præsertim Joannem Baptistam ut exempla monachorum proponere non dubitarunt [1].

Rechabitæ, qui originem et nomen ducunt a Jenadab filio Rechab, qui Jehu regi adstitit cum sacerdotes Baal trucidaret [2], et vitam ducebant asceticam [3].

948.— *b*/ EXTRA VERAM RELIGIONEM, numerantur *Esseni* et *Therapeutæ*.

Esseni.— Essenimus secta fuit judaica, sed heretica, vitam severiorem ducens [4].

Therapeutæ, i. e. cultores, curatores, quod " tanquam medici quidem animos eorum qui ad ipsos accesserant, vitiosis affectibus liberatos curarent, seu quod ipsi divinum Numen caste et sincere colerent [5]. "

Attamen cum sint qui authenticitatem libri Philonis vindicare satagant [6], et alii qui librum habeant ut suppositicium ignoti auctoris judæi vel monachi christiani sæculi tertii, vel saltem de ejus authenticitate addubitent [7], et Phi-

(1) SCHIWIETZ, *Das morgenländische Mönchtum*, t. I, p. 3. — (2) IV REG. X, 15-23.—(3) Cfr. KNABENBAUER, S. J. *Comment. in Jerem, proph.* in h. l. Parisiis, 1889.

(4) Consulantur: PLIN. *Hist.* n. 515,—JOSEPH. *de Bello Jud.* 2; 8, *Antiq.* 13, 5: 18, 1,—Dom U. BERLIÈRE. *Les Moines juifs et le christianisme*, Revue Bénédict. 1891, p. 12, *Les origines du Monachisme;*—SCHIWIETZ. o. c. p. 3,—Harnischmacher. *De essenorum apud Judæos societate*, Bonn 1866, —Lauer. *Die Essäer und ihr verhältniss zur Synagoge und Kirche*, Wien 1869,—Lucius. *Der Essenismus in seinem Verhältnisse zum Judentum*, Strassburg, 1881.

(5) Ita Philo apud Eusebium *Hist. Eccl.* L. 2, cap. XVII, P. G. t. 20, col. 174, et Eusebius (l. c.), S, Hieronymus (*De viris illustr.* c. 11. P. L. t. 23, col. 626), Cassianus (*De cœnob. instit.* L. 2, c. 5. P. L. t. 49, col. 84) et alii (Cfr. adhuc Bouix o. c. t. I, p. 153, rationes Bollandistarum afferens ad probandum therapeutas fuisse christianos judaizantes).

(6) v. g. MASSEBIEAU. *Le traité de la vie contemplative.* Extrait de la revue de l'Histoire des Religions, t. XVI, 1887,— E. HERRIOT, *Philon le Juif.* p. 299, Paris 1898,— Conybare, *Philo about the contemplat. life*, London 1895, — et Zöchler, *Askese und Mönchtum*, I. p. 128, 1897.

(7) Cfr. Schürer, *Geschichte des Jud. Volkes.* III, p. 536, et auctores ibi citatos.

lonis liber unicum præstet fontem e quo hodie therapeutarum existentia probari possit, cum certitudine affirmare non possumus therapeutas unquam exstitisse [1].

949.—*c)* IN PAGANISMO, præsertim in *a)* Indiâ, *b)* Græciâ, et *c)* Ægypto inventi sunt ascetæ.

a) In Indiâ. — Ab indeterminato tempore *Brahmani* habentur in Indiâ, modo eremetice, modo collegialiter in silvis degentes, vitæ contemplativæ vacantes sibique durissima opera pœnalia imponentes.

Bouddhistæ, sic nominati ab eorum reformatore *Buddhalgoutama*, qui c. a. 560 ante Christum novam vivendi normam inter Brahmanos invexit. [2]

b) Apud græcos tres floruerunt scholæ contemplationi rerum divinarum vacantes, nempe: *Pythagoreorum* circa a. 562 [3],—*Stoicorum* cui præerat Zeno [4],—et *Neo-platonicorum* cum Philone in primis Ecclesiæ exordiis. [5]

c) Ægyptus suos etiam habuit reclusos qui, probabiliter fuerunt Sacerdotes Serapis. [6]

B.—***Fere omnes eadem sibi opera pœnalia imposuerunt.***

Uti vides, Frater, segregatio a mundo et exercitium operum pœnalium, quibus homo ad vitam moralem perducitur puriorem, antiquissima est, nec ulli ferme defuit religioni,

(1) Cfr. P. STEIGER, o. c. p. 39.

(2) Cfr. *Kirchenlex.* et *Real. Encycl.* ad v. v. Brahmanismus, Buddhismus; Mgr BIGANDET, *Vie ou légende de Goudoma*, 1878; AUGER, *Les mystiques dans les Pays-Bas*, Chap. 2. p. 23; LASSEN: *Indische altertumskunde*, Bonn. 1846-1861; Julius MAYER: *Die Christ. Ascese.* Freiburg, 1894, p. 39 cum nota seq. LÖCKLER: *Askese und Mönchtum*, Frankfurt, 1816, I § 1-4; SCHIWIETZ, o. c. p. 4.

(3) Cfr. ZELLER: *Histoire philos. grecque* t. 1; CHAIGNET: 1874 *Pythagore et le Pythagorisme.*

(4) Cfr. PLINIUS *Hist.* n. 5; ECKSTEIN, *Geschichtliches über die Ascesis der alten heidnischen und der alten jüdischen Welt.* Freiburg, 1862.

(5) Cfr. L'abbé PRAT, *Histoire de l'Eclectisme alexandrin considéré dans sa lutte avec le christianisme.* Lyon. 1843.

(6) LADEUZE, *Etude sur le cénobitisme Pakhomien.* Louvain. 1898. p. 160.

cujus ratio putidum materialismum et fetechismum transcendit. [1]

C. — ***Differunt tamen essentialiter ab invicem.***

950. — "Tametsi idem *faciunt* ascetæ pagani et christiani, minime idem *est*, perinde ac non idem est, quod idem faciunt medicus et carnifex. Ut idem faciant in causâ est ipsa rerum natura : communem prosequuntur scopum : vitam dico moralem puriorem, unionemque cum divinitate; commune omnibus congenitum experiuntur impedimentum, concupiscentiam dico : ideoque dum meditationibus et oratione ad Deum tendant simul et carnem continentiâ, abstinentiâ multimodâ, operibus pœnalibus et vitâ solitariâ edomant. Ut autem ipsæ castigationes utrobique non idem sint, in causâ est motivum ad eas impellens. Bouddhistæ... naturam sensibilem malum reputant, ideo ab eâ refugiunt; christianus autem ut carne mortificatus spiritu vivat cum Christo in Deo." [2] Fideles, uno verbo, normam communi vivendi perfectiorem amplectuntur ut vitam suam Christo conforment, et juxta doctrinam Christi tutiorem ad finem viam inveniant. [3]

Art. III. — De excellentiâ statûs religiosi ex suâ ordinatione ad manifestandam Ecclesiæ sanctitatem.

951. — Ex conformitate statûs religiosi ad doctrinam exemplumque Christi, spontanee apparet et alia hujusdem statûs excellentia, nempe ejusdem ratio ad notam sanctitatis Ecclesiæ manifestandam.

---

(1) P. Steiger o. c. p. 38.

(2) P. Steiger o. c. p. 43 cfr. Schiwietz o. c. p. 5 seqq. 43 seqq. — Frédégand : *Les origines de la vie monastique dans le christianisme.* Etudes Franciscaines, Janv. Mars, 1909, p. 43 seq.

(3) Quoad influxum ascetismi heterodoxi in opera pœnalia ascetismi chritiani cfr. Frédégand, op. cit. p. 47.

Hanc excellentiam sedulo examines omnino necesse est, Frater. Unde dicemus 1) quid sit sanctitatis nota et quare consiliorum observationem requirat, dein 2) paucis verbis stabiliemus hanc observationem ab exordio Ecclesiæ viguisse et 3) sanctitatem Ecclesiæ manifestasse.

§ I. — *Quid est sanctitatis nota et quare observationem consiliorum requirat.*

952. — Quid est sanctitas? — 1) Sanctitas in principali acceptatione vocabuli, prout nempe spectat ad rationales creaturas, est conjunctio animæ cum Deo, suprema norma rectitudinis.

2) Attamen sanctitas etiam prædicatur de omnibus mediis seu principiis quæ habent efficaciam ad sanctificationem hominum, et hoc modo dicimus: sancta Evangelia, sancta Sacramenta, sanctam regulam, sanctas constitutiones.

953. — Sanctitas est nota Ecclesiæ. — Sanctitas nota est Ecclesiæ catholicæ. Ut autem societas religiosa, uti Ecclesia, sancta dici possit, requiritur ut sit sancta *a)* tum sanctitate principiorum et activi influxûs in sua membra, tum *b)* sanctitate membrorum sive personarum ad ipsam pertinentium. Hæc utraque sanctitas *c)* externis signis prodeat omnino necesse est. Oportet enim ut, absque rationabili dubio, constet sanctitatem alicujus membri Ecclesiæ reapse provenire ex influxu sanctificante principiorum ejusdem societatis religiosæ.

954. — Quare sanctitas, ut nota Ecclesiæ, observationem consiliorum requirit. — Sanctitatem quæ Ecclesiæ convenit ejusdem esse naturæ, ut normæ in doctrinâ Christi propositæ respondeat, nemo est qui non videt. Ast, norma in Evangelio proposita, consiliorum observationem comprehendit. Hæc observatio pertinet igitur ad sanctitatem quæ Ecclesiæ Christi proprietas est, et observari debet non in omnibus membris, siquidem non de præcepto, sed de consilio est, sed

in aliquibus inveniatur omnino necesse est. Oportet enim ut Ecclesia, corpus mysticum Christi, vitam sui capitis perenniter in se referat. Christus autem, uti supra vidimus, perfectissimum fuit exemplum consiliorum evangelicorum, eorumque exercitio omnis ejus vita lucide splendet. Inde dicere possumus hanc esse excellentiam statûs religiosi ut naturâ suâ ordinatus sit ad Ecclesiæ sanctitatem manifestandam. Et de facto

§ II. — *Ab exordio Ecclesiæ viguit consiliorum observatio.*

955. — Apostoli, doctrinâ et exemplo Christi permoti, primi amplexi sunt statum religiosum. "Ipsum apostolorum collegium, ait P. Vermeersch, [1] perfectam sub Christo duce religionis referebat speciem, cum, relictis omnibus: rebus, parentibus, uxore, ultroneam colerent paupertatem et castitatem et ab ipso quem obedientissimi sequebantur Domino ad omnem informarentur perfectionem."

Apostoli autem in hâc "Philosophiâ" nacti sunt discipulos vitam communi perfectiorem ducentes per unius alteriusve consilii evangelici observationem. [2] Non tamen tibi fingas, Frater, initio Ecclesiæ fuisse monachos presse tales qui certam et determinatam vivendi normam sequerentur. Nam non videtur determinatam et certam disciplinam iis impositam fuisse qui consilia evangelica profitebantur. [3]

"Primis autem initiis, omnia fuisse minus composita et parum finita, mirari nequit, ait P. Vermeersch [4], qui noverit hoc esse in more positum divinæ Providentiæ ut lentis incrementis omnia adducat ad perfectionem, atque ita gratiam dispenset ut minime tollat hominum sive conatus sive proprios voluntatis motus."

Fuit igitur ætas primordiorum, quæ a Christo pertinet in

(1) O. c. n. 39. — (2) Cfr. ACT. APOST. II, 44, 45; IV, 32. — (3) Cfr. O. PRAT. o. c. t. 1. p. 27.— (4) O. c. t. 1. n. 38.

Oriente ad S. Basilium M. [1], et in Occidente ad S. Benedictum [2], et quæ 1) virgines et 2) ascetas et dein 3) primos monachos complectitur.

956. — 1° **Virgines.** — Ab ipso Ecclesiæ exordio fuerunt feminæ quæ in continentiâ absolutissimâ se Christo dedicarunt. In actibus Apostolorum [3] jam legimus esse Philippo Evangelistæ *quatuor filiæ virgines prophetantes.* Et Patres primi sæculi variis in locis de existentiâ virginum aperte mentionem faciunt. [4]

Sic ad Smyrneos scribens S. Ignatius [5] ait: "Saluto... et perpetuo Virgines."

Sæculo autem secundo inventæ sunt permultæ: "Ac multi quidem, inquit S. Justinus [6], et multæ annos sexaginta et septuaginta nati, qui a pueris Christi disciplinâ imbuti sunt, incorrupti perseverant." [7]

Jam certe ineunte sæculo tertio existebat ordo ecclesiasticus virginum et ascetarum. [8]

957. — 2° **Ascetæ.** — Non tantum feminæ sed et viri, ab initio Ecclesiæ, sese in operibus perfectionis exercebant et vocabantur *confessores*, qui tamen a Clemente Alexandrino [9] *ascetæ* cœpti sunt nominari. Jam in Actibus Apostolorum [10] sermo fit de S. Barnaba, qui, *cum haberet agrum, vendidit eum, et attulit pretium, et posuit ante pedes Apostolorum.* Ascetæ sicuti et virgines castitatem colebant perpetuam. "Multos etiam apud nos reperire est, ait Athenagoras [11], tum viros, tum mulieres, qui cœlibes consenescant, spe arctius se cum Deo conjunctum iri."

(1) S. IV.— (2) S. VI.— (3) XXI, 9.— (4) S. IGNATIUS *ad Polycarpum*, c. 5. P. G. t. col. 723; — CLEMENS ROMAN. *Epist. I ad Corinth.* c. 38. P. G. t. 1. col. 283; — HERMAS. L. 3. simil. 9. c. 29. P. G. t. 2. col. 1003.— (5) XIII, P. L. t. 5. col. 858.— (6) P. G. t. 6, col. 350.— (7) Cfr. TERTULLIANUS. *De virginibus velandis*, cap. 14, P. L. t. 2, col. 957; CLEMENS ALEXAND. *Strom.* L. 3. c. 1. P. G. t. 8, col. 1103. c. 15, col. 1198.— (8) SCHIWIETZ. o. c. p. 16 seq. — (9) *Pæd.* L. 1. cap. 7. P. G. t. 8 col. 317.—(10) IV, 36, 37.— (11) *Legatio pro christianis*, P. G. t. 6, col. 966.

Non omnes, sed plures, ut v. g. *Origenes* [1] et *S. Cyprianus* [2], valedicebant rebus temporalibus, nam ad paupertatem colendam movebantur ex hortationibus Patrum. [3]

Orationi vocabant assidue [4], et verborum S. Pauli memores [5]: *Induimini Dominum Jesum Christum, et carnis curam ne feceritis in desideriis,* ad monitum ejusdem Apostoli [6] *carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis,* varia opera pœnalia sibi imponentes.

958.— 3° **Primi Monachi.**— Medio sæculi tertii effloruit monachismus. Duplex fuit initio monachorum ratio. Alii enim eremitæ, anachoritæ perfecte soli, vel bini, vel cum paucis; alii cœnobitæ plurimi sub uno domicilio vitam ducebant communi perfectiorem.

959.— *a)* EREMITÆ, ANACHORITÆ.— *Origo.* Timore persecutionis Decii (250) perterriti, multi fideles in Ægypto, sed præcipue Ascetæ in solitudines deserti recesserunt. Experientiâ dulcedinem vitæ contemplativæ intellexerunt, et sedatâ persecutione, ibi remanserunt. Prior omnium quem certe cognoscimus fuit S. Paulus, qui anno 250 in eremum se recepit. [7]

Evangelicæ perfectionis studio, verbis et exemplo Christi permoti, multi utriusque sexus fideles, eodem tempore, mundo valedixerunt et ad evangelica capienda consilia et liberius Deo sibique vacandum sese in solitudinem receperunt. Omnium celeberrimus fuit S. Antonius, qui anno 270 mundo valedixit et circa a. 306 habuit discipulos, quibus normam vivendi verbis et exemplo præscripsit.

---

(1) *Hist. Eccl.* L. VI. c. 3. P. G. t. 20, col. 530. — (2) *Vita S. Cypriani* P. L. t. 3, col. 1543.— (3) Cfr. v. g. TERTUL. *de Patientia* c. 7. P. L. t. 1. col. 1371; CLEMENS ALEX. *Quis dives salvabitur.* P. G. t. 9. col. 615, ORIGENES *in Matth.* Homil. 15. P. G. t. 13. col. 1294, S. CYPRIANUS *de Habitu Virg.* c. 11. P. L. t. 4. col. 461. — (4) Cfr. Mgr. DUCHESNE: *Les origines du culte chrétien,* Paris, 1889, p. 167. — (5) ROM. XIII, 14.— (6) GAL. V, 24.— (7) S. HIERONYM. *Vita S. Pauli,* P. L. t. 23, col. 17 seq.

Hi bini vel cum paucis conjuncti vitam ducebant solitariam.

Itaque anachoritarum S. Antonius potissimum fuit patriarcha, cujus admirabilem vitam conscripsit S. Athanasius. [1]

960. — *b)* CŒNOBITÆ, — Cœnobitarum primus patriarcha et legislator fuit S. Pakhomius (292-346). Discipulos nactus est, et eos in unam collegit domum. [2]

Quando vero nova S. Pakhomii vivendi norma monachis Ægyptii innotuit, plurimi eremitæ sponte varias ob causas ad cœnobiticam capiendam vitam sese transtulerunt. [3]

961. — DIFFUSIO. — Ex Ægypto mox invecta est vita monastica in ceteras Ecclesiæ partes [4]: tum in *Orientem*, tum in *Occidentem*.

IN ORIENTE. — 1) In *Syriâ, Palestinâ, Mesopotamiâ*.

Primus Hilarion ex Antonii scholâ monasticam in Syriâ disciplinam et exercuit et docuit; quæ dein penetravit in varias orientales partes.

In his regionibus magis prævaluit vita eremetica, et sæpe formâ severiori; ut sunt:

a) Reclusi, in sepulchro vel cellulâ vitam ducentes. [5]

b) Hesychastæ, qui perpetuum colebant silentium. [6]

---

(1) P. G. t. 26 col. 833 seq. — (2) Cfr. Mgr. LADEUZE: *Etude sur le cênobitisme pakhomien pendant le IV^e siècle et la 1^re moitié du V^e* Louvain, 1898. — (3) Cfr. THEODORETUS, *Hist. religiosa Vita Publii*, P. G. t. 82, col. 1354; S. HIERONYM. Epist. *ad Rustic. monach.* P. L. t. 22, col. 1077, n. 9; *Epist. ad Eustach.* P. L. t. 22 n. 35; DOM BESSE: *Les Moines d'Orient* p. 251, Paris 1900; LADEUZE o. c. SCHIWIETZ o. c. t. 1 p. 149, seq. Duodecim rationes ob quas eremitæ ad cœnobiticam vitam se transtulerunt affert D. MARTENE *Comment. Reg. Benedict.* P. L. t. 66, col. 259, seqq. — (4) Cfr. Lucas HOLSTENEUS *Dissertatio proœmialis ad Reg. monastic.* P. L. t. 103, col. 404. — (5) Cfr. *Hist. Lausiac.* P. G. t. 34, col. 1109 seq. Vide v. g. cap. 43 in Syria, Mesopotamia, in Palæstina, cfr. P. G. t. 82, col. 1339 et t. 86, col. 2479. — (6) Dr. STEIN, *Studien ueber die Hesychasten* — Wien, 1873.

c) Subdivales, tanquam sub dio viventes, et *Pastores* per montes et silvas jugiter nomen Dei magnificantes. [1]

d) Sale, i. e. stulti, nempe stultitiam ex amore Christi fingentes. [2]

e) Stationarii, qui omnem corpori negabant sessionem, et *Stylitæ* in columna vivebant. [3]

Non defuerunt tamen ibi etiam et monasteria, ut appareret ex monachis acemetis [4], quorum laus divina nullo somno interrumpebatur, alternatim diu noctuque psallebant. [5]

2) In græcis Minoris Asiæ regionibus inclytus fuit cœnobiticæ vitæ propagator atque ordinator S. Basilius Magnus.

962. — In Occidente. — In Italiam institutum monasticum partim ex Ægypto, partim ex Syriâ transiit. Primum enim Romam adveniens Sanctus Athanasius cum vitam a se scriptam Sancti Antonii publicasset, juventutem utriusque sexûs plurimam ad ejus imitationem inflammavit.

At S. Eusebius Vercellensis disciplinam monasticam e Syriâ petitam in suam Ecclesiam intulit, et clerum etiam suum sub regulam adegit.

Ex utrâque istarum originum vel Ægyptiacâ, vel Syriacâ prodiisse videntur monasteria, quæ multa per Italiam fuisse SS. Ambrosius, Hieronymus, Gregorius, aliique testantur [6].

Non solum in continente Italiæ, sed fere in omnibus Europæ partibus diffluit vita monastica.

Joannes Cassianus, qui prope Massiliam erexit monasterium, [7] et diu inter monachos Ægypti commoratus erat, per sua scripta mirifice statum propagavit monasticum.

(1) Cfr. Theodoret *Hist. relig.* P. G. t. 82, col. 1294 et col. 1339.

(2) Cfr. *Hist. Lausiaca*,—cap. 41, 42. P. G. t. 34. col. 1104.

(3) Lege de Nicandro P. G. t. 79, col. 249; cfr. Delehaye S. J. *Les Stylites.* Revue des questions histor. 1895 p. 52 seq.

(4) Cfr. Mgr. Ladeuze, *Revue de l'hist. eccl.* 1900 p. 513.

(5) Cfr. Dom Besse: *Les Moines d'Orient.* Paris, 1900.

(6) Lucas Holst. l. c. col. 404.

(7) De Cassiano cfr. D. Besse: *Les Moines d'Orient.*

Omnium tamen præclarissimus fuit S. *Benedictus*.

At, Frater, quænam fuit virginum, ascetarum et primorum monachorum vivendi ratio, nisi consiliorum observatio publice coram Ecclesiâ professa? [1] Perlege effata Patrum ad virgines et ascetas, [2] pervolve primas monachorum regulas; Regulam S. *Palemonis*, [3] sancti *Antonii abbatis ad monachos*, [4] S. *Macarii*, [5] *regulas Patrum* [6], *Beati Isaiæ orationes* [7] *et præcepta seu consilia posita tyronibus in monachatu* [8], et licet ut apocryphæ habeantur, [9] consilia tamen et effata Patrum circa religiosam vitam tradunt. Examina et sedulo meditare regulas proprie dictas, nempe S. *Pakhomii* [10],

---

(1) Hoc clare apparet ex variis Patrum dictis, e. g. ex Tertulliano qui (*De virg. velandis*, 10. P. L. t. 4. col. 951) loquitur "de aliquibus insignibus" virginibus; quæ verba supponunt eas habuisse professionem publicam coram Ecclesia.

(2) S. CYPR. *de habitu virg.* P. L. t. 4, col. 455; TERTULL. *de velandis virg.* P. L. t. 2, col. 936; S. ATHANASIUS: *De virginitate.* P. G. t. 28, col. 251, *Epist. 22* S. HIER. P. L. t. 22. col. 394; S. AMBROS. *De virg.* L. II, P. L. t. 16. col. 221 etc.

(3) Exstat apud D. Besse o. c. p. 74.

(4) P. G. t. 40, col. 1066; P. L. t. 103, col. 423.

(5) P. G. t. 34, col. 967; P. L. t. 103, col. 447.

(6) nempe, *a)* Serapionis, Macarii, Paphnutii et alterius Macarii regula ad monachos, P. G. t. 34, col. 971; P. L. t. 103, col. 435; *b)* alia Patrum regula ad Monachos. P. G. t. 34, col. 977; P. L. t. 103, col. 441; *c)* tertia Patrum regula ad Monachos. P. G. t. 34, col. 979; P. L. t. 103, col. 443.

(7) P. G. t. 40, col. 1105.

(8) P. L. t. 103, col. 427.

(9) Cfr. observationes criticæ in has Regulas ut in editione Migne prostant; cfr. etiam pro variis regulis SCHIWIETZ o. c. t. I, p. 97 seq.

(10) P. L. t. 23, col. 65, et t. 50, col. 271; narratio de ejus divina origine per angelum fabulosa est (Mgr LADEUZE. *Etude sur le cénobitisme pakhomien* p. 296 seq. Ejusdem regulæ interpretationem ab Orsiesio S. Pakhomii discipulo, cui titulus "*de doctrina et institut ne monachorum* invenies P. G. t. 40. col. 869).

S. *Basilii*, [1] S. *Benedicti* [2] et varias alias regulas [3], et cum Luca Holstenio, qui verba Leonis Allatii affert, dicere teneris [4] diversitatem ordinum religiosorum minime unitati obstare, quâ omnes ad eumdem scopum ordinantur, nempe ad sese Christo per observationem consiliorum conformandum :

" Primaria sane et quasi fundamentalis monachorum regula evangelium erat ; illa, inquam, Christi consilia, quæ castrare seipsum propter regnum cœlorum ; quæ abnegare se et crucem tollere ; quæ patrem et matrem, uxorem et agros propter Christum relinquere ; quæ vendere patrimonia, et dare pauperibus, sicque nudos Christum sequi suadebant. Regulæ particulares nihil nisi primæ Regulæ applicationes aut declarationes locis et personis plerumque aptatæ habebantur. "

(1) Inter opera S. Basilii genuina inveniuntur *Regulæ fusius* et *Regulæ brevius tractatæ*. Primæ 55, alteræ vero 313 regulis absolvuntur, P. G. t. 31, col. 889-1032. Rufinus has S. Basilii regulas ex græco in latinum tumultuarie transtulit, varias mutando regulas, et in unum conjunxit atque ex illis regulam sub nomine S. Basilii observandam monachis proposuit. Extat P. L. t. 103, col. 487.—Inter dubia S. Basilii opera inveniuntur : *Codex pœnarum* quibus mulctandi sunt regulæ transgressores; P. G. t. 31, col. 1306; et *Constitutiones monasticæ* P. G. t. 31, col. 1321-1427.—Quoad authenticitatem S. Basilii operum vide observationes criticæ Joannis Garnier in præfatione ad opera S. Basilii P. G. t. 31, col. 84 et col. 119-132.

(2) Gregorius M. *Lib. 2 Dialog.* c. 36, ut A. Martène in *Prolog. Regul. S. Benedicti* P. L. t. 66 col. 206, vocat eam "discretione præcipuam, sermone luculentam."

(3) Ut v. g. regula orientalis collecta a Vigilio diacono P. L. t. 103 col. 477 ; invenies typicum sive regulam P. G. t. 34, col. 983 ; multa etiam scitu digna invenies in opere : *Joannis Cassiani opera omnia*, cum amplissimis commentariis Alardi Gazæi P. L. t. 49 et in dissertatione procemiale Lucæ Holstenii ad *Regulas monasticas* P. L. t. 103 col. 463, et apud Mabillon in suis præfationibus ad *I Tom. Annal. Benedict.*

Nota. — Ex S. Pakhomii regula ceteri monachorum legislatores ut S. Basilius, S. Benedictus, S. Ignatius a Loyola plura hauserunt.

(4) P. L. t. 103, col. 398, *Codex Regul.* præfatio XI.

§ III.—*Consiliorum observatio Ecclesiæ Sanctitatem manifestavit.*

963.—Vi evangelicæ informationis plurimi justitiam adepti sunt notoriam.

Inter virgines habentur S. Lucia, S. Cecilia, Sancta Anastasia[1]. Inter ascetas celeberrimi nominantur pontifices: S. Clemens Romanus, S. Ignatius Antiochenus, S. Polycarpus, etc[2]. Ascetæ adhuc fuerunt S. Athanasius et S. Joannes Chrysostomus.

Inter monachos sunt legiones, ut S. Antonius, S. Pakhomius, S. Basilius et alii. Hæc sanctitas ex observatione consiliorum profluisse in confesso est apud omnes. Inspice eorum vitam atque mores. Lege Rufinum: *Historia Monachorum*[3];—S. Hieronymum: *Vita S. Pauli primi eremitæ*[4], *Sancti Hilarionis*[5], et *S. Malchi*[6]; —Palladium: *Historia Lausiaca*[7];—Theodoretum: *Historia religiosa*[8];—*opera omnia S. Nili*[9], et mirabilia Domini, vi influxûs consiliorum observationis operata, videre licebit.

Hæc sanctitas usque ad hoc tempus Ecclesiæ non defuit, ut constat ex innumeris religiosis quos SS. Pontifices catalogo sanctorum adscripserunt, nec unquam deficiet. Christus enim Jesus Sponsæ suæ solemniter promisit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*[10]; nempe ad sanctificationem fidelium operandum, *ut* Christus scilicet, secundum doctrinam S. Pauli[11], *exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* At cum Deus adjuvet Ecclesiam ad sanctificationem membrorum, certus et felix esse debet exitus, et lege constanti gremio suo continebit Ecclesia Sanctos, qui tales sint ex vi et influxu

(1) Canon Missæ.— (2) Cfr. EUSEBIUS, *Hist. Eccles.* III, 375, P. G. t. 20, col. 291-294.— (3) P. L. t. 21, col. 387.— (4) P. L. t. 23, col. 17.— (5) T. c. col. 29.— (6) T. c. col. 55.— (7) P. G. t. 34, col. 995 seq.— (8) P. G. t. 82, col. 1283.— (9) P. G. t. 79.— (10) MATTH. XXVIII, 20.— (11) EPH. V, 27.

doctrinæ evangelicæ et præsertim ex consiliorum observatione.

964.— OBJECTIO.— Nemo hanc Ecclesiæ sanctitatem publice per observationem consiliorum manifestatam evertet, Frater, dicendo inter virgines, ascetas, et primos monachos fuisse homines vitio et pravitate infectos. Quoad virgines et ascetas, sciendum est fuisse virgines et ascetas gnosticos, qui cum homine tanquam fratre habitabant et perditos habebant mores [1].

At praxis cohabitationis cum viro cœlibe ab Ecclesiâ semper improbata fuit [2].

Auctor (III s.) Epistolæ Clementis ad virgines [3], praxim Ecclesiæ quoad hanc consuetudinem tradit, dicens: "Sub eodem tecto cum virginibus non manemus, nec inter nos et illas necessitudo ulla intercedit."

Negandum tamen non est, etiam posse inveniri virgines, Ecclesiæ saltem sæculo tertio, quæ cum viro cœlibe communem ducebant vitam, sed illico Episcopi acriter hunc abusum impugnaverunt et e medio tollere conati sunt [4].

Quoad monachos, fuerunt etiam et hæretici ut *Gyrovagi* [5], *Sarabaitæ* seu Remobath [6], *Eustathiani* [7], *et alii* [8].

(1) Cfr. S. IRENÆUS, *Contra hæres.* L. 1, c. 6, n. 3, P. G. t. 7, col. 507. —(2) Hæc praxis minime deduci potest ex verbis S. Pauli (I Cor. VII, 36). Cfr. Mgr LADEUZE *Revue de l'hist. eccles.* 1905, p. 58-62, contra ACHELIS. *Virgines subintroductæ.* Leipzig, 1902. — (3) P. G. t. 1, col. 418.— (4) Cfr. S. Cyprianus *Epist. 62*, P. L. t. 4, col. 375. S. Basilius *Epist. 55*, P. G. t. 32, col. 402, t. 30, col. 841. S. Greg. Nazianz. *ad virgin.* P. G. t. 37, col. 585. Joan. Chrysost. *Orationes* P. G. t. 47, col. 495, 513. S. Hieronyn. Epist. 117, t. 22, col. 953, *Epist. 22*, n. 14, l. c. col. 402. —(5) Cfr. Cassianus, *Coll.* 8, P. L. t. 49, col. 1093 seq. Lege etiam commentarium Alardi in h. l.— (6) S. Hieronymus *Epist. 22*, n. 34, P. L. t. 22, col. 419. Cassianus l. c. Contra eos concil. Chalcedon. (451) posuit canon 4, can. 10, c. 8 q. 1, de non amplius ædificando monasterio nisi ex arbitrio episcopi. — (7) Gnosticismo infecti, quos damnavit concil. Grangrense (343) c. 9 seq. HEFELE. *Histoire des conciles.* 1re éd, traduct. franç. t. 2, p. 168-86. Ex eorum cœtu fuit *Arius*, cfr. S. Epiph. P. G. t. 42, col. 338, et 503-16. — (8) Ut *Origeniani* cfr. S. Epiph. t. 41, col. 1063, *Adamiani*, ibid col. 955, *Apostolici* ib. 1039, *Audiani* (P. G. t. 42, col. 339-372).

At permulta in monachos christianos quæ ab hæreticis facta sunt conferuntur ; dein, juxta verbum Domini [1] : *necesse est ut veniant scandala*, unde, licet status perfectionis sanctitate fulgeat, eum etiam suum vermem habuisse nemo mirabitur.

ART. IV. — Excellentia ex fructibus quos status religiosus parturit.

965. — Excellentia statûs religiosi modo peculiari apparet ex fructibus quos affert tum 1) fidelibus qui ipsum profitentur; 2) tum Ecclesiæ catholicæ ipsique statui civili.

§ I. — *De fructibus a statum religiosum profitentibus perceptis.*

966. — Status religiosus, vi institutionis suæ ad perfectionem ordinatur, et eum profitentes *a)* securius *b)* facilius et *c)* perfectius ad finem tendunt quam fideles in statu communi viventes.

a) SECURIUS. — "Mundani, ait P. Neudecker [2], ad perfectionem incedunt viâ valde ancipiti, erroneâ, periculis plenâ, impedimentisque et obstaculis refertâ, ita ut pauci ad finem optatum perveniant." — "O munde immunde! exclamat Auctor Sermonum ad Fratres in Eremo. [3] Homines illaqueare non desinis, quiescere non permittis, rapere omnes appetis, occidere omnes quæris. Væ qui tibi credit; beatus qui tibi resistit; sed beatior, qui a te illæsus recedit!" — "Sæculi vita diaboli hamus est, inquit S. Damascenus [4], exsecrandâ voluptate, tamquam illecebrâ quâdam obductus, per quam eos, qui in fraudem inducuntur, ad imum inferni gurgitem trahit."

(1) Matth. XVIII, 7. — (2) O. c. P. 1 cap. II, n. 23. — (3) Inter opera S. August. Serm. 31. In Append. P. L. t. 40, col. 1290. — (4) JOANN. DAMASC. *Hist. Barl. et Josaph.* c. 25. P. G. t. 96, col. 1095.

At, Frater, religiosi, mundo valedicentes paratam inveniunt, et ambulare possunt viam regiam, tritam, et certam, ab impedimentis et periculis immunem: adeo ut ad finem præfixum secure pervenire valeant, dummodo velint. [1]

967. — *b)* FACILIUS. — Religiosi quasi rhedâ vel equo vecti ad finem sine fatigatione pergere valent. Etenim qui ligatus est Christo et religioni:

1) *Pascitur ejus fructibus*, nempe regulis, consiliis, exhortationibus, communibus orationibus et suffragiis et caritatis officiis quæ sibi invicem religiosi præstant.

2) *Pascitur cibo spirituali statûs religiosi*, nempe *lectione* piorum librorum; *auditione* verbi Dei seu exhortationum spiritualium; *oratione* vocali, seu divinarum laudum cantu; divinorum mysteriorum *meditatione*, usu *sacramentorum* et præsertim *sacrificii* Missæ.

Ex hoc cibo, seu potius ex his vasis spiritualibus hauriunt religiosi vinum compunctionis quo propria delent peccata, quod, mox ut cadunt, bibunt ut resurgant, unde majorem spem perseverandi concipiunt et facilius ad finem pertingunt.

3) *Pascitur ipsâ congregatione religiosorum. — Frater* enim, *qui adjuvatur a fratre, quasi civitas firma* invenitur, ait Scriptura [2]. Religiosus, in congregatione bene ordinatâ, "alterius fervore excitatur, ait Thomas a Kempis [3], alterius humilitate docetur; istius obedientiâ movetur, illius patientiâ ædificatur. Ibi, verecundatur esse vilior; confunditur esse tardior. Ibi invenit, quos timet. Ibi habet, quos diligit: et sic ex omnibus proficit. Ibi alterius correptio, ejus fit admonitio. Ibi alienum periculum, proprium efficitur speculum. Ibi unus, alterius est custodia; et alium portat in patientiâ."

Mundani e contra, præfatis auxiliis destituti, maximâ

(1) Cfr P. NEUDECKER, l. c. — (2) PROV. XVIII, 19.— (3) Serm. 2 ad novit. n. 1.

cum difficultate iter perfectionis peragunt, et plerumque in viâ defatigati ad finem non pertingunt. Quapropter cum præcitato et eximio spirituali Doctore [1] dicere possumus: "Magnum igitur et jucundum bonum, habitatio multorum devotorum in unum. Qui in sanctâ congregatione usque in finem perseveraverit, etiam si imperfectus fuerit, propter multorum orationes, et merita perfectorum, ad beatum finem Deo propitio perveniet. Qui autem congregationem deserit, quasi extra portum stabilitatis et salutis divertens, marinis procellis se exponit. Qui enim de medio congregationis se separat, incertum est, ubi adhuc perseverabit."

968. — *c)* PERFECTIUS. — Mundani solam mandatorum observantiam attendentes et parum de consiliis divinis et evangelicis solliciti, modo minus perfecto quam religiosi viam perfectionis percurrunt. Hi enim servando ultra mandata, plura Dei consilia, musto inebriari videntur, quo in die Pentecostes inebriati sunt Apostoli, quorum vitam imitantur. Audi quomodo S. Augustinus [2] perpulchre hanc veritatem explicet: "Non soli Apostoli Spiritûs Sancti musto inebriati: hoc fervent vitam perfectam sectantes... Hoc musto inflammantur, et hoc præclaro poculo quotidie inebriantur etiam corda fidelium, et animæ convertentium. Quod frequenter fieri videmus, quando pro desiderio salutis suæ parentes et patriam suam fugiunt; exeunt, nullo compellente, de terrâ et cognatione suâ, et mortui huic mundo, alios spiritualiter animarum inquirunt parentes, et liberi sub jugo veniunt, et paulo ante clari atque sublimes humilia affectant, superba fastidiunt, et cupiunt esse quod ante despexerant, et odisse incipiunt quod fuerant: præsentium hospites, futurorum appetitores, æternam illam patriam contemptâ temporalium falsitate suspirant, Hoc itaque musto spirituales animæ inebriatæ et penitus commutatæ absti-

(1) TH. a KEMPIS o. c. l. c. n. 3. — (2) Serm. 182. *In Pentecoste* n. 5. P. L. t. 39, col. 2090. Sermo est dubius.

nentiam deliciis, vigilias dulcibus somnis, paupertatem divitiis anteponunt: Arduum contra vitia laborem, jucundissimam computant voluptatem. Dulcescunt eis vilia; et quæ prius fuerant pretiosa, vilescunt. Diligunt inimicos suos, et benefaciunt his qui se oderunt: non convincuntur indignantibus, non irritantur in opprobiis, non franguntur in injuriis; prorsus horum nihil sentiunt propter fervorem Spiritûs Sancti et propter æternam retributionem." Hæc verba clare indicant vitam religiosam vitæ communi longe præstantiorem esse.

Excellentia statûs religiosi respectu assumentium eum tanta est ut nisi Deus eam ob conservationem generis humani absconderet, omnes eum assumerent, ut optime notat S. Laurentius Justinianus [1]: Consulto, dicere solebat, Deum gratiam religionis hominibus occultasse, nam si cognosceretur illius felicitas, omnes ad eum concurrerent. [2]

§ II. — *De fructibus statûs religiosi ab Ecclesiâ civilique statu perceptis.*

969. — De his fructibus sufficit nobis, Frater, tibi tantummodo indicare principaliores, quos membratim apud varios auctores invenies. [3]

1° *Oratione, bono exemplo,* his armis spiritualibus religiosi Ecclesiæ atque societati operam dant egregiam. [4]

2° *Prædicatione et sacro ministerio* Ecclesiæ instrumenta

(1) Vita cap. IX p. XIV, Opera omnia, Coloniæ, 1626.

(2) Cfr. supra de merito religiosorum ex voto proveniente.

(3) Lege *Epist. Leonis XIII ad Card. Arch. Paris.* 23 Déc. 1900, cfr. De MONTALEMBERT. *Les Moines d'Occident,* Introd. chap. 3 et 4, Paris 1860; — Dom BESSE: *Le Moine Bénédictin,* Ligugé, 1898; — *Les Moines d'Orient,* Paris, 1900; — GOYAU: *Le Rôle social du Monastère au Moyen-Age,* dans la *Quinzaine,* 1 Mai 1901; — MARIN: *Les Moines de Constantinople.*

(4) Cfr. S. JOANNES CHRYS. *Comparatio Regis et Monach.* cap. 4, P. G. t. 47, col. 392.

sunt eximia, quibus ad vitam christianam in populis servandam ac propagandam jure utitur suo.

3° *Operibus misericordiæ* innumeris miseriis remedia afferunt pretiosa.

4° *Scientiis* maximum conferunt Ecclesiæ et societati commodum, quod et semper contulerunt antiquos libros servando, ac transcribendo, doctissimosque libros scribendo.

Familiæ religiosæ igitur "lectissimas illas auxiliares Christi militum turmas constituerunt, proclamat Pius IX [1], quæ maximo tum christianæ, tum civili reipublicæ usui, ornamento atque præsidio semper fuerunt."

970. — CONCLUSIO. — Excellentiam igitur statûs religiosi extollere possumus: attamen cum ex multis membris constet, caute laudanda est familia religiosa in concreto. "In quocumque genere vitæ, quod habet aliquam professionem, dicit S. Augustinus [2], non omnes inveniuntur probi, non omnes reprobi... Eadem professio est, sed non idem cor. Professionem vident homines, cor novit Deus." Non licet ergo ita extollere statum religiosum ut dicamus omnes religiosos esse bonos, nam si hoc dixeris, cum postea homines viderint quosdam religiosos malos, scandalizabuntur valde. Sæpissime id evenit, Frater, quod homines "cum laudare volunt, sic laudant, ut non ibi dicant mala quæ mixta sunt; et qui vituperare volunt, tam invido animo et perverso vituperant, ut claudant oculos adversus bona, et sola mala quæ ibi vel sunt vel putantur, exaggerent." Etenim "Laudatores clericorum intendunt ibi bonos ministros, fideles dispensatores... Laudant hæc, obliviscuntur quia mixti sunt malis. Rursus qui reprehendunt avaritiam clericorum... voraces jactant. Et tu invide vituperas, et tu incaute laudas: ita qui laudas, dic mixtos malos; tu qui vituperas, vide ibi et bonos.

(1) In *Epist. Encycl.* 17 Junii 1847. — (2) *Enarrat. I* in Ps. 36. P. L. t. 36, col. 356.

Sic et in illâ vitâ communi fratrum quæ est in monasterio." [1] "Nemo vos fallat, Fratres. dicit alio in loco S. Augustinus [2]: Si non vultis falli, et vultis amare fratres, scitote omnem professionem in Ecclesiâ habere fictos. Non dixi omnem hominem esse fictum, sed omnem professionem habere fictas personas." Et hoc duplici ex causâ: Prior ut virtus justorum gloriosior appareat: Magna enim laus et ingens virtus hominis, qui habitans cum subversoribus, non subvertitur, et degens cum scorpionibus, non læditur. Posterior autem ut dum mali pungunt bonos, hi pulchriores et fortiores per patientiam et solertem pugnam evadant.

Quænam requirantur conditiones ut de facto religiosus bonus dici possit, ostendetur infra ubi sermo erit de religiosorum obligationibus.

(1) S. AUGUST. Enarr. in Ps. 99. n. 12. P. L. t. 37, col. 1278. — (2) Enarr. in Ps. 99 n. 13. P. L. t. 37, col. 1279 seq.

LIBER TERTIUS.

De Statu Franciscano.

971. — Postquam naturam et excellentiam statûs religiosi, prout hic a Christo in Ecclesiâ verbis et exemplis introductus est, explanavimus, adhuc supersunt multa dicenda, Frater, de unoquoque statu religioso in concreto. Nostrum autem propositum est ea quæ dicenda sunt specialiter tractare et pro viribus explanare de statu franciscano, de quo Nicolaus III [1] publice declarat: "Hæc est apud Deum et Patrem munda et immaculata religio, quæ descendens a Patre luminum, per Ejus Filium exemplariter et verbaliter Apostolis tradita, et demum per Spiritum Sanctum beato Francisco, et eum sequentibus inspirata, totius in se quasi continet testimonium Trinitatis. Hæc est, cui attestante Paulo [2], *nemo de cetero debet esse molestus*, quam Christus passionis suæ stigmatibus confirmavit, volens institutorem ipsius passionis suæ signis notabiliter insigniri."

Ut ad hunc scopum nostrum tuto perveniamus, agemus 1° de excellentiâ statûs franciscani 2° de conditionibus ad eum profitendum requisitis, ac demum 3° de obligationibus illum profitentibus impositis.

CAPUT I.

DE EXCELLENTIA STATUS FRANCISCANI.

972. — Status religiosus hominibus proponitur ut via ad perfectionem acquirendam. At, Frater, norma vivendi

(1) Constit. *Exiit*. n. 2. — (2) GAL. VI, 17.

statûs religiosi, nempe observationem trium consiliorum voto firmata, variis modis in praxim deduci potest. Ast hæc varietas in observatione consiliorum, propter varias hominum complexiones et propensiones non æque omnibus accommodatur, uti jam innuit S. Gregorius [1]. Oportet igitur ut ad perfectionem anhelantibus forma statûs religiosi eorum indoli, studiis, viribus accommodata, inveniatur. De facto autem, religionum diversitas usque ad prima Ecclesiæ sæcula recurrit [2].

Hæc varietas ut divisiones parens ab hæreticis impugnatur, sed non immerito hæc eorum sententia ab Ecclesiâ reprobata est [3], siquidem, ut Gregorius XIII declarat [4], hæc varietas, a divinâ Providentiâ ad ipsius Ecclesiæ utilitatem introducta est: "Cum divina providentia, pro temporum necessitate, varia et salutaria Ordinum instituta in Ecclesiâ suâ produxerit, novisque subinde in eâ nascentibus morbis, nova remedia; novisque emergentibus hostium impugnationibus, nova regularium Ordinum auxilia excitarit, et cuique illorum, juxta cujuslibet peculiaris gratiæ vocationem, peculiares quasdam notas, peculiaria insignia, ac opportuna ad finem quem intendit, media suggesserit."

Distinctione igitur Ordinum religiosorum "Sancta Mater nostra et Christi sponsa Ecclesia tanquan *in vestitu deaurato circumamicta varietate* [5], decorata et deiformis efficitur," inquit Seraphicus Doctor [6].

Ut igitur de statu franciscano rectum possis ferre judicium, oportet, Frater, ut 1. varios religiosorum Ordines modo generali cognoscas, dein 2. principia quibus excellentia religionum in genere stabiliatur attendas, et demum 3. his

(1) MORAL. L. 6, cap. 36, P. L. t. 75, col. 761.— (2) Ut patet ex S. Hieronym. *Epist. ad Eustochium*, n. 34, seq. P. L. t. 22, col. 419,— S. AUGUST. *De moribus Eccles.* cap. 31, P. L. t. 32, col. 1337 seq.— Cassiano, Coll. 18, et 14, cap. 4. P. L. t. 49, col. 1092, 956, et aliis Patribus.

(3) PIUS VI, *Propos. damn. Synod. Pist.* Denz. n. 1445.— (4) Const. *Ascendente Domino*, § 18 (B. R. IV, IV, 57).— (5) Ps. XLIV, 10.— (6) *Apolog. Paup.* cap. 3, n. 20, Op. t. VIII, p. 250.

principiis innixus, excellentiam ipsius religionis minoriticæ in specie addiscas.

ART. I. — De variis religiosorum Ordinibus.

973. — Principium et fundamentum varietatis religionum ex triplici fonte emanat; nempe 1. ex diversitate finis, et 2. mediorum quibus ad finem tenditur, et dein 3. ex eorum conditione juridicâ.

§ I. — *Varietas Ordinum religiosorum ex fine.*

974. — Finis, ut optime noscis, Frater, est illud propter quod agens operatur. Religiosus autem, vi statûs ad perfectionem caritatis tendat, omnino necesse est. Unde hâc ratione nulla inveniri potest diversitas Ordinum religiosorum, siquidem perfectio caritatis est finis intrinsecus, principalis et essentialis omnis statûs religiosi.

Sed, cum ipsa caritas plura habeat officia quibus exercetur et proxime augetur, et quæ æqualiter ab omnibus statum religiosum profitentibus adimpleri nequeunt, religiosi possunt unum alterumve caritatis officium ut finem *primarium* sui instituti intendere, et reliqua omnia sua exercitia ad hunc finem ordinare. Hic finis dicitur *minus principalis, secundarius*, relate nempe ad finem principalem et essentialem statûs religiosi.

Jam vero, caritatis duplex est objectum materiale: Deus nempe et proximus; sed idem est objectum formale: Deus.

At, ut dicit Card. Bellarminus [1]. "Possumus tribus modis Deum diligere: Uno modo, *per contemplationem* ipsum Deum in se diligendo, eique inhærendo.

Alio modo, *per actionem* Deo in membris ejus serviendo, ut alendo pauperes, suscipiendo peregrinos.

(1) *De Monachis* L. 2, cap. 3.

1014.— 1° *Eorum zelus ad extensionem Ecclesiæ.*— Fratres Minores extensioni Regni Christi hic in terris, multiplici quidem modo, adlaboraverunt. Nam multi Fratres Minores facti sunt legati et commissarii Sedis Apostolicæ. Sic e Franciscanis prodierunt multi inquisitores, nuntii, et dignitarii ecclesiastici. Ad nostra usque tempora ex Ordinis gremio sumpti sunt plus quam 2500 episcopi, archiepiscopi vel patriarchæ, circiter 90 cardinales, et 5 Romani Pontifices. (Nicolaus IV, Alexander V, Sixtus IV, Sixtus V et Clemens XIV) [2].

1015.— 2° *Eorum studia et scientia.*— Sub respectu scientifico, in medio ævo Franciscani omnes alios Ordines Religiosos

(1) Litt. Encycl. ad Episcop. Italiæ, 11 Junii 1905.

(2) Cfr. Manuale Historiæ Ordinis Fratrum Minorum a P. Dre Heriberto Holzapfel O. F. M. latine redditum a P. Gallo Haselbeck. Friburgi-Brisgoviæ 1909. cap. IV, § 42, Minoritæ in immediatis Apostolicæ Sedis servitiis p. 186, seq.

antecedebant; sic, si deleas solum S. Thomam Aquinatem, scientia Fratrum Minorum longe celebrior erat in universitatibus sæculi XIII quam etiam Prædicatorum [1].

1016. — 3° *Prædicatio verbi Dei.* — Fratres innumeri et fere omnes prædicationi verbi Dei vacaverunt, præsertim coram plebe. Præter haud paucos prædicatores primæ notæ, ut fuerunt Sanctus Bonaventura, Bertholdus Ratisbonensis, Conradus a Saxonia, Hugo de Digna etc., occurrit hic turba innumera, quorum solus Deus nomina cognoscit, Qui forte non multum famæ sibi acquisierunt nec cupiverunt, sed quorum ministerium humile et anonymum, magnos tamen fecit fructus pœnitentiæ, plus aliquando quam virorum magni nominis [2].

Capuccini ab initio suæ institutionis strenue ministerio verbi et operibus caritatis eluxerunt, et ministerio prædicationis maximo cum fructu incubuerunt.

Inter Apostolos populares eminent præsertim S. Joseph a Leonissa et B. Didacus Josephus a Gadibus.

Etiam magnates hujus sæculi honori duxerunt verbum Domini audire ex ore pauperum et humilium, adeo ut Benedictus Papa XIV, per bullam "Inclytum" die 2 Martii 1743,

(1) Sic P. Van Ortroy S. J. apud Anal. Bollandiania T. XXVIII, p. 131. Sic in scientiis eminent præsertim Alexander Halensis († 1245), S. Bonaventura († 1274), Joannes Duns Scotus, propugnator Immaculatæ Conceptionis († 1308), Guilelmus Occam († 1347), Rogerius Baco († 1294) qui etiam scientiâ profanâ eminet, etc.;— in S. Scripturâ, Nicolaus Lyranus († 1340),— in historiâ, Thomas a Celano, Salembene et alii plures;— in arte poëticâ, Jacopone a Todi († 1306) et alii permulti quos longius esset singillatim indicare.

Capuccini etiam studiis scientificis eluxerunt et multos viros præclaros produxerunt. Sic inter Theologos Ordinis eminent Carolus Josephus Tricassinus († 1681), Thomas a Charmes, († 1765), Gabriel a Varceno († 1893), Albertus Knoll a Bulsano et alii.— In exegesi P. Bernardinus a Piconio (Picquigny) († 1709);— inter scriptores asceticos vero celebres sunt Ambrosius a Lombez († 1778), Martinus a Cochem († 1712) et alii multi ad nostra usque tempora.

(2) Cfr Holzapfel o. c. cap. IV, § 43, 44.

ordinaverit, deinceps perpetuis futuris temporibus officium Concionatoris Apostolici in Palatio Apostolico, uni ex Fratribus nostri Capuccinorum Ordinis committi, concedi et assignari debere.

1017.— 4° *Eorum munus sociale* [1].— Non tantum Fratres Minores solliciti erant de populorum vitâ morali, sed etiam de materiali vitâ et de bono sociali bene meriti sunt. Non tantum ægrotos et pestilentiâ infectos curaverunt, sed etiam ut pauperibus solatio essent, fundaverunt et propagaverunt sic dictos "montes pietatis" (Beatus Barnabas Interamnensis, B. Bernardinus Feltriensis), ut pauperes fideles ab exaggerationibus usurariis liberarent.

Ubique propugnatores exstiterunt pauperum et debilium hujus sæculi, et in societate nostrâ occidentali principia sanæ democratiæ vere Christianæ inculcaverunt.

Fratres *Capuccini* in particulari susceperunt curam infirmorum, præsertim lue contagiosâ infectorum.

Sub respectu sociali præsertim nomen illustre adepti sunt P. Theodosius Florentini († 1865), benefactor Helvetiæ, et P. Theobaldus Matthew († 1856), apostolus temperantiæ.

Etiam sub respectu politico-religioso multi quam maximum influxum habuerunt; sic inter alios S. Laurentius a Brundusio, Ven. Marcus ab Aviano et Joseph a Tremblay.

1018.— 5° *Missiones Fratrum Minorum.* — Tandem, sub alio respectu, Franciscani Ecclesiam Dei propagaverunt in dissitis etiam regionibus. Missio enim ad infideles vocatio est Minorum, et, historiâ testante, munus illud fideliter impleverunt in eoque permulti martyrii coronam collegerunt. Tanta fuit multitudo Minorum inter infideles ubique laborantium, ut etiam de eis dici possit: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* [2] Jam ab Ordinis initio, nulla regio fuit hominibus pervia, quam filii B. Francisci evangelizando non occuparunt. Hoc factum

(1) Cfr. Holzapfel o. c. cap. IV. § 46.— (2) Ps. XVIII, 5.

ex publicâ noscitur historiâ, et simul ex documentis Pontificum Gregorii IX, Alexandri IV, et Clementis IV. Sic anno 1258 scribebat Alexander his verbis [1]: "Alexander: Dilectis Filiis Fratribus de Ordine Minorum in terris Saracenorum, Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Æthiopum, Syrorum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zichorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Nestorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moscelinorum, Tartarorum, Hungarorum, Majoris Hungariæ, Christianorum captivorum apud Turcas, aliorumque infidelium nationum Orientis, seu quarumcumque partium proficiscentibus, etc."

En ergo jam 34 an. post obitum S. P. Francisci, Ordinem Seraphicum, totam Europam, totam fere Asiam septentrionalemque Africam in Christo amplectentem errantesque ad unicum Christi ovile reducere conantem.

In Europâ, Bulgari labe hæreseos infecti (1366) operâ Fratrum Minorum conversi sunt. Similiter Græci in Concilio Lugdunensi a Franciscanis ad unionem Ecclesiæ Romanæ sunt reducti.

Omnium primi etiam Fratres Minores coluerunt insulas Canarias; et ex Hungaris paganis duodecim millia convertit S. Joannes Capistranus. In Africâ, apud Tunetanos et Marochianos Franciscanæ Missiones ab initio floruerunt.

In Asiâ, Franciscani jam fere VII sæc. terram sanctam seu Palestinam inhabitant, et sanctum Domini nostri Sepulcrum aliaque loca sacra custodiunt. Ad Tartaros omnium primi missi sunt ab Innocentio IV (1245) et innumeros converterunt, dum interim in Indiis Orientalibus apud insulas Ceylanam et Philippinas, apud Thanam, Calicutum et Cochinum, multa millia paganorum regesque complures convertebantur, operâ Minorum. Quod vero ad Indiam orientalem pertinet, Fratres nostri fuerunt primi qui huic labori operam dederunt; quanto autem cum fructu, colligi

(1) WADDING. t. 2. ad ann. 1258, p. 169.

potest ex eo quod brevi tempore plures vicariatus ibidem erexerunt. Hæc quidem gloriosa sunt; sed tamen nihil gloriosius quam totius Novi Orbis conversio, quod opus omnes historici testantur inchoatum fuisse a Fratribus Minoribus. Ex eis F. Joannes Perezius ex Ordine Minorum, socius et amicus Christophori Columbi, primus Evangelium intulit in Americam, ubi primam ecclesiam ædificavit (1493); alius Frater Minor fuit primus Episcopus in Americâ. Sanctus Franciscus Solano fuit Apostolus Peruviæ, et mox Fratres Minores totum novum mundum perlustrarunt. [1] In Missionibus vero apud infideles, Capuccini multos fructus salutis Christo pepererunt. Sic in Europâ multæ regiones Galliæ et Germaniæ suam fidem Catholicam servaverunt vel amissam iterum adeptæ sunt operâ Capuccinorum, in quâ Missione martyrio coronatus est Fidelis a Sigmaringa.

In Asiâ eminent Missiones Indiarum, in quibus bonum certamen certavit Illustr. D^nus^ Hartmann, Ordinis nostri decus.

In Africâ, Capuccini incoluerunt inter alias regiones Abyssiniam, ubi martyrium subierunt B. B. Agathangelus et Cassianus, et regionem Gallas dictam, ubi strenue laboravit Eminentissimus Cardinalis noster Massaya († 1889).

In Guineâ et etiam in Congo, Franciscani bene meriti sunt ubi usque ad primam partem sæculi XIX Fratres Capuccini cum magno lucro animarum Christum prædicarunt. Unus ex eis, P. Stephanus Zambelliti Ravennati, Capuccinus ferventiori spiritu præditus, et Missionarii munere in Congo perfunctus, adeo sermone et opere potens fuit ut ad Christum circiter 13.000 idololatras converteret.

In Americâ Septentrionali et Meridionali fundaverunt etiam florentissimas Missiones hodie adhuc Ordinis nostri decus et gloriam.

Hi sunt selecti quidam apostolici labores ex innumeris aliis, quos Ordo S. Francisci, spiritu vere Seraphico accen-

(1) HOLZAPFEL. o. c. c. IV. § 48 seq. p. 215-263; § 98, seq. p. 450 seq.

sus, in Dei gloriam et Ecclesiæ utilitatem protulit sæculis præcedentibus, et usque in hunc diem constanter fideliterque, Deo adjuvante, profert.

De Ordine Seraphico vere dicere potuit Innocentius III, in personâ S. Francisci: "Hic est qui opere et doctrinâ Christi sustentabit Ecclesiam."

Mirum ergo non est, ad nostra usque tempora, in coronatione Summi Pontificis post orationem S. Spiritus et B. M. V. recitari orationem S. Francisci, Ecclesiæ maximi propugnatoris et propagatoris [1].

1019.—*b)* ORDO FRANCISCANUS SUOS ALUMNOS, PER QUIBUS UTITUR MEDIA AD APICEM PERFECTIONIS ET SANCTITATIS PERDUXIT.

Ordo franciscanus semper sanctitate floruit. Nam, ut taceamus de multis præclaris viris quorum causa adhuc tractatur in Curiâ Romanâ, hucusque ex primo Ordine canonizati sunt 52, beatificati autem 92 [2].

En sanctorum et beatorum primi Ordinis Elenchus. Eorum recordari, semper perutile est, Frater: Sunt enim Ordinis nostri decus et tutamen, et viam nobis demonstrant quâ secure ad domum Patris cœlestis perveniamus, ubi eorum societate aliquando fruemur lætantes; et tacite proclamant excellentiam mediorum quæ in Regulâ Seraphicâ præscribuntur.

(1) Franciscani etiam non parvum influxum habuerunt, uti jam vidimus (cfr. n. 199 seq.) in cultum et devotiones populares, nam primi promotores vel saltem propagatores exstiterunt multarum devotionum, v. g. devotíonis erga Nomen Jesu, erga Christum infantem, erga Passionem, erga B. M. V, Immaculate Conceptam, etc.

Ipsis etiam debetur prima institutio vel saltem propagatio festorum SS. Trinitatis, Visitationis B. M. V., S. Joseph; S. Joachim et Annæ. Præterea maximum influxum habuerunt in evolutionem Breviarii Romani etc.

Cfr. Holzapfel o. c. cap. IV, § 45 p. 200 seq.

(2) Ex secundo Ordine canonisatæ 5 et beatificatæ 17. Ex Tertio denique sancti prodierunt 30 et beatificati 51.

ELENCHUS SANCTORUM ET BEATORUM PRIMI ORDINIS.

I. — FRATRES MINORES.

1020. — Ante concilium Constantiense (1414-1418) defuncti et quos æquali jure omnes Congregationes Minoriticæ sibi vindicare possunt [1].

(C. — *Confessor*, D. — *Doctor*, E. — *Episcopus*, M. — *Martyr*.)

1021. — *a)* SANCTI

Franciscus Assisiensis, C. († 1226).
Berardus, M. († 1220).
Petrus, M. († 1220).
Accursius, M. († 1220).
Adjutus, M. († 1220).
Otho, M. († 1220).
Daniel, M. († 1227).
Angelus, M. († 1227).
Samuel, M. († 1227).
Domnus, M. († 1227).
Leo, M. († 1227).
Hugolinus, M. († 1227).
Nicolaus, M. († 1227).
Antonius a Padua, C. († 1231).
Bonaventura, E. D. († 1274).
Benvenutus, E. († 1276).
Ludovicus, E. († 1299).

1022. — *b)* BEATI

Joannes a Perugia, M. († 1231).
Petrus a Sassoferrato, M. († 1231)
Benvenutus a Gubbio, C. († 1232).
Bentivolis de Bonis, C. († 1232).
Peregrinus a Falerone, C. († 1232).
Rizzerius a Mucia, C. († 1236).
Agnellus a Pisa, C. († 1236).
Rogerius a Todi, C. († 1237).
Stephanus a Narbonne, M. († 1242)
Raymundus a Narbonne, M. († 1242)].
Guido a Cortona, C. († 1250).
Andreas a Spello, C. († 1254).
Liberatus a Lauro, C. († 1258).
Ægidius ab Assisi, C. (1262).
Joannes a Pinna, C. († 1271).
Joannes a Parma, C. († 1289).
Conradus ab Ascoli, C. († 1289).
Benvenutus a Recanati, C. († 1289)
Andreas, Conte de Segni, C. († 1302)].
Petrus a Treja, C. († 1304).
Raynerius ab Arezzo, C. († 1304).
Conradus ab Offida, C. († 1306).
Thomas a Tolentino, M. († 1321).
Franciscus a Fabriano, C. († 1322).
Joannes ab Alverna, C. († 1322).
Bartholomæus Pucci, C. († 1330).
Odoricus a Pordenone, C. († 1331).
Gentilis a Matelica, M. († 1340).
Nicolaus Tavileis, M. († 1368).
Sanctes ab Urbino, C († 1390).
Jacobus a Strepa, E. († 1411).

(1) HOLZAPFEL, Tab. XI Sancti et Beati totius Ordinis, p. 636 seq.

II. — FRATRES MINORES UNIONIS LEONINÆ.

(Observantes, Discalceati, Reformati, Recollecti, Alcantarini.)

1023. — *a*) SANCTI

Bernardinus a Siena, C. († 1444).
Petrus Regalatus, C. († 1456).
Joannes a Capistrano, C. († 1456).
Didacus, C. († 1463).
Jacobus de Marchia, C. († 1476).
Petrus de Alcantara, C. († 1562).
Nicolaus, Pick, M. († 1572).
Hieronymus de Weert, M. († 1572).
Theodoricus ab Emden, M. († 1572)].
Nicasius ab Heeze, M. († 1572).
Willehadus a Dania, M. († 1572).
Godefridus a Melveren, M. († 1572)].
Antonius de Weert, M. († 1572).
Antonius ab Hornar, M. († 1572).
Franciscus a Roye, M. († 1572).
Petrus ab Assche, M. († 1572).
Benedictus a Philadelpho, C. († 1589)].
Paschalis Baylon, C. († 1592).
Petrus Baptista, M. († 1597).
Martinus ab Ascensione, M. († 1597)].
Franciscus Blanco, M. († 1597).
Franciscus a S. Michaele, M. († 1597)].
Gundisalvus Garcia, M. († 1597).
Philippus a Jesu, M. († 1597).
Franciscus Solanus, C. († 1610).
Pacificus a S. Severino, C. († 1721).
Joannes Jos. a Cruce, C. († 1734).
Leonardus a Porto Maurizio, C. († 1751)].

1024. — *b*) BEATI

Thomas a Florentia, C. († 1447).
Herculanus a Piagale, C. († 1451).
Matthæus a Girgenti, E. († 1455).
Gabriel Ferretti, C. († 1456).
Archangelus a Calatafimi, C. († 1460)].
Antonius a Stroncone, C. († 1461).
Marcus a Bologna, C. († 1479).
Pacificus a Cerano, C. († 1482).
Simon a Lipnicz, C. († 1482).
Joannes a Dukla, C. († 1484).
Christophorus Mediolanensis, C. († 1485)].
Jacobus Illyricus a Jadera, C. († 1490)].
Petrus a Molliano, C. († 1490).
Bernardinus a Feltre, C. († 1494).
Angelus a Chiavasso, C. († 1495).
Marcus a Montegallo, C. († 1497).
Bernardinus a Fossa, C. († 1503).
Vincentius ab Aquila, C. († 1504).
Timotheus a Montechio, C. († 1504).
Ladislaus a Gielniow, C. († 1505).
Franciscus a Calderola, C. († 1507)].
Ægidius a Lorenzana, C. († 1508).
Joannes Forest, M. († 1538).
Salvator ab Horta, C. († 1567).
Nicolaus Factor, C. († 1583)
Sebastianus ab Apparitio, C. († 1600)].
Andreas Hibernon, C. († 1601).
Julianus a S. Augustino, C. († 1605)].
Petrus ab Ascensione, M. († 1617).
Joannes a S. Martha, M. († 1618).
Apollinaris Franco, M. († 1622).
Richardus a S. Anna, M. († 1622).

Petrus ab Avila, M. († 1622).
Vincentius a S. Josepho, M. († 1622)].
Franciscus a S. Bonaventura, M. († 1622)].
Didacus a S. Clara, M. († 1622).
Franciscus Galves, M. († 1623).
Ludovicus Sotelo, M. († 1624).
Aloysius Sosanda, M. († 1624).
Franciscus a S. Maria, M. († 1627).
Bartholomæus Laurel, M. († 1627).
Antonius a S. Franc., M. († 1627).
Antonius a S. Bonaventura, M. († 1628)].
Dominicus a Nagasaki, M. († 1628)].
Joannes a Prado, M. († 1631).
Hieronymus Torres, M. († 1632).
Gabriel a S. Magdalena, M. († 1632)].
Humilis a Bisignano, C. († 1637).
Carolus a Sezze, C. († 1670).
Bonaventura a Barcelona, C. († 1684)].
Thomas a Core, C. († 1739).
Theophilus a Corte, C. († 1740).
Ægidius M. a S. Josepho, C. († 1812)].
Leopoldus a Gaichi, C. († 1815).
Joannes a Triora, M. († 1816).

III. — FRATRES MINORES CONVENTUALES.

1025. — *a*) SANCTI
Josephus a Cupertino, C. († 1663).

1026. — *b*) BEATI
Bonaventura a Potenza, C. († 1711)].

IV. — FRATRES MINORES CAPUCCINI.

1027. — *a*) SANCTI
Felix a Cantalicio, C. († 1585).
Seraphinus a Montegranaro, C. († 1604)].
Josephus a Leonissa, C, († 1612).
Laurentius a Brindisi, C. († 1619).
Fidelis a Sigmaringen, M. († 1622)].

1028. — *b*) BEATI
Benedictus ab Urbino, C. († 1625).
Agathangelus a Vendôme, M. († 1638)].
Cassianus a Nantes, M. († 1638).
Bernardus a Corleone, C. († 1667),
Bernardus ab Offida, C. († 1694).
Angelus ab Acri, C. († 1739).
Crispinus a Viterbo, C. († 1750).
Felix a Nicosia, C. († 1787).
Didacus a Cadiz, C. († 1801).

1029. — Hi omnes, teste eorum historiâ, modo directo vel indirecto ad duplicem Ordinis scopum totis viribus anhelarunt, mediis in Regulâ Minoriticâ præscriptis: orando nempe et laborando, sed etiam severitatem cultûs et disciplinæ observando.

§ III. — *Ex severitate cultûs et disciplinæ.*

1030. — Ratione finis et mediorum ad finem, non possumus religionum franciscanam ceteris religionibus vitam mixtam ducentibus perfectiorem proclamare, siquidem omnes ad eumdem finem ordinantur et plerumque iisdem vel similibus utuntur mediis. Ex alio tamen capite, Ordo Minoriticus, ceteris religionibus mixtis excellentiâ præstat singulari, nempe ex ejusdem severitate cultûs et disciplinæ.

" Status ille, ait noster Politius [1], qui magis reddit hominem absolutum et liberum a terrenorum omnium amore, et a noxiâ eorum sollicitudine, quæ nimis Dei amori adversantur, et per consequens magis ad inhærendum soli Deo per amorem conducit, et ad proximorum caritatem inducit: convenientiora utique, et magis propriis finibus proportionata habet exercitia, quam ille status, in quo religiosi minus per exercitia ipsa elongantur ab amore et sollicitudine prædictis. Et quo magis per hujusmodi instrumenta a tali terrenorum affectu removentur, ut Deo adhærere, et proximorum utilitati commodius vacare possint : eo perfectiora et suis finibus congruentiora ipsa exercitia, seu instrumenta comprobantur."

Jam vero, caritati Dei et proximi obstat, uti vidimus, triplex concupiscentia : carnis, oculorum et superbiæ vitæ. Ad hæc impedimenta tollenda in omni religione propriedictâ, trium consiliorum præscribitur observatio.

Scito tamen, Frater, præter hæc consilia generalia, unamquamque religionem ad perfectionis impedimenta removenda, sua habere consilia particularia, quæ tamen virtualiter in tribus consiliis generalibus continentur. Sub paupertate enim comprehenduntur omnia consilia, quæ vel ad qualitatem cibi ac vestitûs vilis, vel ad usum necessarium aliarum

(1) Expositio F. Hieronymi a Politio Siculi O. F. M. C. in Regulam S. Patriarchæ S. Francisci. Ed. 3, Coloniæ Agrippinæ, 1615, Prælud. I, n. 11.

rerum, vel ad modum quærendi hæc omnia, mendicando aut laborando, vel ad alterius arbitrium illa recipiendo pertinent. Ad castitatem autem spectant corporis afflictiones, abstinentiæ et similia consilia; imo etiam vigilias et orationes videtur S. Paulus virginitati annexere. Maxime vero sub obedientiâ comprehenduntur omnia pietatis, religionis et caritatis officia: et quidquid ad finem perfectionis in tali statu consequendum conferre potest; et ita obedientiæ consilium omnia consilia unicuique statui opportuna, in quâdam animi præparatione, complectitur.

At, hæc consilia particularia, quæ in quolibet Ordine religioso ad concupiscentiam reprimendam inculcantur, in Ordine Seraphico multo majoris momenti sunt. In plerisque enim religiosis institutis Regulæ non habent præcepta proprie talia, sed Regula Seraphica graves imponit obligationes. [1] Ita fit, Frater, ut in nullâ religione tam severa inveniatur observatio trium consiliorum evangelicorum sicut in religione franciscanâ. Et revera:

1031. — 1° *Quoad paupertatem.* Hæc Fratrum Minorum est altissima, et tanta quidem, ut nihil, non tantum in particulari, sed etiam in communi possidere valeant, [2] ut pecuniæ usus ipsis prohibeatur; imo et aliarum rerum usus, nisi in quantum necessitas postulat [3]. Hanc paupertatem nulla alia Religio attingere videtur.

1032. — 2° *Quoad castitatem.* — In religione franciscanâ "castitatis votum in tanto perfectionis gradu emittitur, ut non solum internam et externam impudicitiam, et quodvis ejus periculum sub gravi peccato vi regulæ vitare teneatur quisquis hanc religionem professus est, verum insuper omnem etsi non malam, sed indifferentem, vel etiam de se bonam, suspectam tamen mulierum conversationem. [4]"

(1) Cfr. Clemens V, Const. *Exivi*, art. 1 n. 2. — (2) Regul. c. IV; VI. cfr. Concil. Trident. Sess. XXV cap. 3 "*De Regularibus et Monialibus.*" — (3) Const. *Exiit.* 3 *De verborum significatione* in 6. — (4) Reg. cap. XI. P. PIATUS, o. c. l. c. q. 34.

1033. — 3° *Quoad obedientiam.* — " Firmiter præcipio eis, ait S. Regula (cap. X), ut obediant suis ministris in omnibus quæ promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animæ suæ et Regulæ nostræ." " Quare Minorum obedientia et universalior ceteris videtur, docet P. Piatus [1], et per consequens ceteris altior. "

Hanc severitatem cultûs et disciplinæ Fratres Minores Capuccini hucusque sedulo conservarunt, ut clare declaratur a S. S. Pontificibus Leone XIII et Pio X. In suis litteris apostolicis quibus eorum constitutiones approbantur et confirmantur, Pius X " *Vicarium Pastoris* " sic loquitur: " Confecto igitur quod dilectis filiis mandavimus negotio [2], Nos et gaudemus, Nobis et præclaro Capulatorum Ordini gratulamur vehementer; præsertim quia hoc opere videmus opportune cautum, ut Assisiensis Patriarchæ spiritum Sodales integrum custodiant, maximeque ad *rigidam innocentiam, altas magnificasque virtutes quibus ille ad miraculum eluxerat* [3] animose ac severe imitandas excitentur; quæ quidem hujus Franciscani instituti propria quædam est et peculiaris laus."

Singulari Franciscanæ regulæ perfectione inspectâ, mirum igitur non est, Frater, Ecclesiam Christi modo solemni Regulam franciscanam suâ supremâ et infallibili auctoritate approbasse et exaltasse.

§ IV. — *De approbatione Regulæ franciscanæ.*

1034. — Ad hanc questionem illustrandam maxime juvabit aliquas dare notitias historicas.

In initio suæ conversionis, sanctus Franciscus " quasi heremiticum ferens habitum, accinctus corrigiâ et baculum manu gestans, calceatis pedibus incedebat.

---

(1) Ibid. — (2) S. S. Pontifex hic de revisione constitutionum F. F. Min. Capucc. loquitur. — (3) Leo XIII, Const. " *Felicitate quadam.* "

Sed cum die quâdam evangelium, qualiter Dominus miserit discipulos suos ad prædicandum, in eâdem ecclesiâ legeretur, et sanctus Dei assistens ibidem, utcumque intellexisset verba evangelica, celebratis missarum solemniis, a sacerdote sibi exponi evangelium suppliciter postulavit. Qui cum ei cuncta per ordinem enarrasset, audiens sanctus Franciscus Christi discipulos non debere aurum, sive argentum seu pecuniam possidere, non peram, non sacculum, non panem, non virgam in viâ portare, non calceamenta, non duas tunicas habere, sed regnum Dei et pœnitentiam prædicare, continuo exultans in spiritu Dei: Hoc est, inquit, quod volo, hoc est quod quæro, hoc totis medullis cordis facere concupisco. Festinat proinde pater sanctus, superabundans gaudio, ad impletionem salutaris auditûs, nec moram patitur aliquam præterire quin operari devotus incipiat quod audivit. Solvit protinus calceamenta de pedibus, baculum deponit e manibus, et tunicâ unâ contentus, pro corrigiâ funiculum immutavit [1]."

Innotescente porro apud multos viri Dei famâ, cœperunt ipsius exemplo plures ad pœnitentiam inflammari, eique, rejectis omnibus, habitu vitâque conjungi. Proinde Sanctus Franciscus sibi et ipsis scripsit simplicibus verbis vitæ aliquam regulam, in quâ Sancti Evangelii observantiam pro fundamento indissolubili collocavit. Desiderans autem per summum Pontificem approbari quod scripserat, decrevit cum suis discipulis ipsum adire [2].

---

(1) CELANO, I, cap. 9. p. 24, seq.—(2) En juxta traditionem (cfr. De conformitate vitæ B. Francisci ad vitam Domini Jesu, auctore Fr. Bartholomæo de Pisa, Fruct. VIII, Pars secunda. Analect. Francis. t. IV p. 177) nomina priorum duodecim S. Francisci sociorum: 1 Bernardus de Quintavalle, 2. Petrus Cathanii, 3. Ægidius, 4. Sabatinus, 5. Moricus, 6. Joannes de Capella, 7. Philippus Longus, 8. Joannes de S. Constantio, 9. Barbarus, 10. Bernardus de Viridante, 11. Angelus Tancredi, 12. Silvester.

1035.— 1° Approbatio oralis Regulæ.

" Præerat tunc temporis Ecclesiæ Dei dominus Innocentius Papa tertius, vir gloriosus, doctrinâ quoque affluentissimus, sermone clarissimus, zelo justitiæ fervens in iis quæ Christianæ fidei cultûs causa poscebat. Hic cum virorum Dei votum agnovisset, discretione præviâ, petitioni eorum assensum præbuit et effectu prosequente complevit, atque de plurimis exhortans et monens eos, benedixit Sancto Francisco et fratribus ejus, dixitque eis: " Ite cum Domino, fratres, et prout Dominus vobis inspirare dignabitur, omnibus pœnitentiam prædicate. Cum enim omnipotens Dominus Vos numero multiplicabit et gratiâ, ad me cum gaudio referetis, et ego vobis his plura concedam, et securius majora committam [1]. "

" His concessis, ait P. Holzapfel [2], familia franciscana juridice erat constituta anno 1209, die, ut antiqua fert traditio, 16 Aprilis. "

Nec omittendum quod prædictus Pontifex omnibus fratribus tonsuram curaverit fieri, ut verbum Dei libere prædicarent, ipsosque ad ordines minores, Franciscum vero ad sacrum Diaconatum promoverit. Sacerdotium vero, quamvis Pontifex et cardinales id peterent, suscipere humilis vir constanter recusavit.

Ipse vero Summus Pontifex fuerat divinitus monitus ut Seraphicam Regulam approbaret. Nam Innocentius " viderat in somnis Lateranensem basilicam fore proximam jam ruinæ, quam quidem religiosus, homo modicus et despectus, proprio dorso submisso ne caderet sustentabat. " Vere, inquit, hic ille est qui opere ac doctrinâ Christi sustentabit Ecclesiam. Inde dominus ille petitione ejus tam facile se inclinat: hinc Dei devotione repletus Christi famulum speciali semper dilexit amore. Proinde postulata cito concessit, et his plura adhuc devotus concedere repromisit [3].

(1) Celano, I, c. 13, p. 35.— (2) O. c. f. 5.— (3) Celano. II, cap. 13, p. 35.

Hæc regula (regula prima, regula non bullata) sub formâ primitivâ hodie disperdita est ; sed decursu temporis plura addita fuere, ita ut redactio hodie servata, 23 constet capitibus, (inde a capitulo generali 30 Maii 1221).

1036.— 2° APPROBATIO CANONICA REGULÆ ACTUALIS.

Anno 1223, regula Ordini fuit immutata et abreviata (Regula 2ª bullata), sub quâ formâ hodie adhuc in usu est.

Honorius III hanc regulam in duodecim capitibus redactam. die 29 Novembris anni 1223 solemniter confirmavit, inserendo textum integrum regulæ in suâ bullâ "*Solet annuere*[1]."

Dein duo potissimum Romani Pontifices: Nicolaus III [2], et Clemens V [3], Regulam ipsam interpretaverunt, ita ut eorumdem declaratio ut lex fundamentalis hucusque in Ordine habeatur.

1037.— CONCLUSIO.— His de excellentiâ Ordinis Franciscani dictis, cum verbis Nicolai III [4], concludere possumus: "Hæc est Minorum Fratrum mitis et docilis in paupertate ac humilitate per almum Christi confessorem Franciscum radicata religio: qui ex illo vero semine germinans, germen illud per Regulam sparsit in filios, quos sibi et Deo per suum ministerium in observantiâ Evangelii generavit. Isti sunt filii, qui docente Jacobo, verbum æternum Dei filium, insitum humanæ naturæ in horto virginalis uteri, potens salvare animas, in mansuetudine susceperunt. Hi sunt illius sanctæ Regulæ professores, quæ Evangelico fundatur eloquio, vitæ Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiæ Apostolorum ejus sermonibus actibusque firmatur."

Quapropter Seraphicus Pater suos dilectos filios alloquens, hos merito sermones habere potuit [5]. "Fratres mei et filii

(1) Authenticum diploma servatur Assisii in sacrario F. F. Minorum Conventualium.— (2) Bulla "*Exiit qui seminat,*" 15 Aug. 1278: Textus originales p. 181.— (3) Constit. et decret. *Exivi de paradiso,* 6 Maii 1312. Textus orig. p. 229.— (4) *Exiit,* n. 2.— (5) Laudes Regulæ. Textus origin. p. 271.

carissimi, præclare nobiscum actum est in concessione hujus Regulæ. Hæc enim, quæ nobis proponitur, Liber est vitæ, spes salutis, arrha gloriæ, medulla Evangelii, via Crucis, status perfectionis, clavis paradisi, pactum æterni fœderis. Nemo vestrum est, qui ignoret quantum emolumenti conferat nobis sacra Religio, cum colluctator et adversarius noster ad omnes dolos, vel cogitandos, vel explicandos mirus sit artifex, atque omnia, quæ nocere possunt, pro laqueis habeat. Unde quamplures, nisi Religionis beneficio muniti essent, in summum discrimen adduxisset. Hanc ergo vestram Regulam scitote omnes, et in allevatione tædii, et memoriâ præstiti juramenti, cum interiori homine de eâ confabulamini; cum intentione eam adimplendi, semper præ oculis portate; immo et cum ipsâ debetis mori."

CAPUT II.

DE CONDITIONIBUS AD STATUM FRANCISCANUM PROFITENDUM REQUISITIS.

1038.— Jam antea declaravimus, quid proprie, jure divino, ad statum religiosum requiratur atque sufficiat [1]. Sed cum omnes vivendi normæ ad salutem ordinatæ, Ecclesiæ subjaceant magisterio atque imperio [2], hæc in præsenti non sufficiunt.

Licet enim Ecclesia nullum statum a Christo præceptum vel consiliatum *suo magisterio* reprobare possit, suo tamen *imperio* potest ac debet omne vitæ genus Christi auctoritate commendatum corrigere, si quod vitii eum inficere vel corrumpere videtur. Ei enim incumbit jus et obligatio vigilandi ne quid spurii in statu perfectionis introducatur. Ita " potest ob rationes optimas excludere *practice* aliquem vivendi mo-

(1) Cfr. n. 915.— (2) Cfr. n. 993.

dum, quin eum *doctrinaliter* rejiciat; sic nunc rejicit formam anachoreticam, et obligat ad cœnobiticam quin priorem modum magisterio suo unquam reprobaverit." [1]

Si status perfectionis in praxim deducitur, duplici diverso modo Ecclesia intervenire potest: *negative et tacite*, vel *formaliter*.

Negative et tacite, quando suo imperio non intervenit, et non interveniendo suo magisterio approbat quid agatur.

Formaliter, quando *suo magisterio* declarat hanc vivendi normam esse viam ad perfectionem a Christo consiliatam, et suo *imperio* "potestatem facit ut hæc forma vivendi publice usurpetur, eique ut plurimum tanquam testimonium favoris sui privilegia adjicit et effectus juridicos quos status producat, determinat." [2]

Initio, Ecclesia quoad praxim statûs religiosi tacite et negative se habebat, sed dein, ad varia vitia quæ in hâc vivendi normâ irrepserunt tollenda, formaliter intervenit.

Ita factum est, Frater, ut hodie ad statum religiosum, stricte talem, in Ecclesiâ habendum, præter ea quæ de jure sunt divino, adhuc sequentia requiruntur: *Votorum solemnitas, communis vita, professio concepta verbis, traditio formalis et diserta, Ecclesiæ approbatio.* Ita ut proprie, atque *inspecto jure ecclesiastico hodie vigente*, status religiosus definiri possit: "Fidelium ad christianæ caritatis perfectionem tendentium, editis perpetuæ paupertatis, castitatis et obedientiæ votis, stabilis in communi vivendi modus, ab Ecclesiâ approbatus." [3]

Hujus generis status est Ordo Franciscanus, de quo inquirendum venit quid proprie ad eum profitendum requiratur.

Conditiones omnes ad religionem minoriticam requisitæ, ad has tres sequentes reduci possunt, nempe 1) ad candidati vocationem et acceptationem ad Ordinem 2) ad ejusdem probationem atque 3) professionem.

(1) P. STEIGER, o. c. p. 29.— (2) P. STEIGER. l. c.— (1) P. PIAT, o. c. t. 1. q. 1.

Art. I.— De candidati vocatione, et ad Ordinem acceptatione.

1039.— Vocatio ad aliquem statum vel ordinem in Ecclesiâ Christi, est divina invitatio ad hunc statum amplectendum vel ordinem suscipiendum. Duplex autem distinguitur vocatio: una externa, altera vero interna.

Externa pertinet ad forum externum et est legitima candidati assumptio ad statum religiosum vel ad ordinem clericalem.

Interna spectat ad forum internum, et est divina invitatio ad sequenda consilia evangelica, vel ad ordinem sacerdotalem suscipiendum.

Cum in statu Franciscano plurimi simul sint religiosi et clerici, de utrâque vocatione agemus: 1. De vocatione Franciscanâ, et dein paucis verbis de 2. vocatione clericali seu sacerdotali.

§ 1.— *De vocatione Franciscanâ.*

1040. — Vocationis Franciscanæ explanatio necessario postulat ut dicamus A) de vocatione religiosâ internâ in genere, et dein B) de vocatione externâ seu de acceptatione ad Ordinem in specie.

1.— De vocatione religiosâ internâ in genere.

1041.— Vocationis religiosæ adæquata notio triplicem necessario importat considerationem: Dei vocantis scilicet, hominis vocati et termini ad quem vocatur.

1042.— A) **Consideratio quoad Deum vocantem.**— Hic duo sunt attendenda: Dei invitatio et gratia vocationis. Nemo enim se a Deo ad statum perfectionis amplectendum vocatum proclamare potest nisi *a)* ipse Deus ei suum beneplacitum ad talem statum adeundum, manifestavit, eique *b)* si-

mul pollicitus est de auxilio gratiæ præstando ad talem propositum exsequendum.

1043. — 1° ***Dei vocatio.*** — Deus hominibus suum beneplacitum de statu perfectionis amplectendo variis modis manifestare potest atque suadere, et *ratione modi quo manifestatur*, et *vi quâ suadetur*, vocatio est *generalis* vel *specialis* [1], et ratione *gradûs quo habetur*, est vel *proxima* vel *remota*.

a) Vocatio generalis illa est, quâ Deus, in abstracto, modo generali Ecclesiæ membra invitat ad sequenda, ultra præcepta, etiam consilia evangelica. Hæc Dei invitatio Ecclesiæ membris manifestatur vel lectione Evangelii de doctrinâ consiliorum, vel auditione verbi Dei de consiliis tractantis.

b) Vocatio specialis illa est quâ Deus, in concreto, per locutionem singularem, nempe ad unum, ad statum perfectionis invitat. Ita Dominus oretenus singulos ad suam sequelam invitavit apostolos; nunc autem, plures fideles locutione interiori.

Jam vero, in ordine supernaturali, triplici diverso modo Deus, locutione et motione interiori, homini suum beneplacitum manifestat atque ei de consiliis sequendis suadere potest: per lumen rationis et fidei, vel ultra humanum modum per dona Spiritûs Sancti, vel demum per dona gratis data; et juxta hos diversos modos invenitur *vocatio ordinaria, extraordinaria* seu *proprie specialis* et *miraculosa*.

1) VOCATIONEM ORDINARIAM vocamus illam, quâ licet Deus supernaturaliter hominem instruat atque de consiliis sequendis suadeat, homo tamen magis active se gerit. Gratia enim hominem tunc ita adjuvat ut Deus quasi sese accommodet ejusdem dispositionibus, ita ut vocatio pedetentim quasi enascatur et cum ætate crescat et formetur, et quasi sponte suâ, datis etiam minoris momenti occasionibus, manifestetur et efflorescat. Hæc Dei invitatio ordinaria adesse censetur quando homo, externe de doctrinâ Christi quoad

(1) Cfr. P. Vermeersch o. c. t. I, n. 124.

statum perfectionis, seu de ejusdem generali invitatione ad consilia evangelica sequenda, edoctus, et omnibus perpensis adjunctis, judicat viam consiliorum sibi esse meliorem et præferendam, nihilque ex suâ parte ad tale propositum exsequendum obstare.

1044.—2) VOCATIO EXTRAORDINARIA SEU PROPRIE SPECIALIS illa est in quâ homo magis passive se habet: Deus enim tunc illustratione peculiari hominem de suo beneplacito instruit, et ante omnem deliberationem, instinctu Spiritûs Sancti ad statum religiosum impellit. In vocatione igitur speciali, insolitis de causis, quasi subito et inopinate declaratur et tam lucide illustratur intellectus ut nullum habeatur dubium de divinâ origine vocationis, et tam roboratur voluntas ut omnibus necessariis auxiliis instructa sit ad vocationem exsequendam. Tali modo vocati habentur v. g. juvenes ætate maturi, qui universitates et majora gymnasia frequentantes, et sat dissolutam vitam agentes, subito mundo valedixerunt, quod v. g. non raro evenit post conciones S. Laurentii a Brundusio [1].

Hæc vocatio adesse demonstratur quando ante omnem humanam consultationem, per illustrationem extraordinariam intellectûs, voluntas perseveranter ad vitam religiosam amplectendam impellitur.

1045.—3) VOCATIO MIRACULOSA illa est in quâ Deus per donum gratis datum hominem de suo beneplacito instruit atque suadet, uti legimus de Seraphico Patre, atque de aliquibus aliis fundatoribus Ordinum religiosorum.

1046.—*c) Vocatio proxima* dicitur quando homo de beneplacito Dei certior fit, sentitque sibi speciatim bonum utile et aliquando necessarium per viam consiliorum de facto incedere. Qui proximâ igitur vocatione afficitur, simul omnia necessaria possidet ad suum exsequendum propositum.

(1) Tutamentum Seraphicum. Analecta Ord. Cap. t. II. p. 180.

1047. — *d) Vocatio remota* habetur quando hæc Dei significatio homini de facto deest, sed ei adfuisset si obstacula voluntaria eam non impedivissent, vel adhuc futura est si homo gratiæ Dei, præsertim orando et impedimenta e medio tollendo, obtemperat.

1048.—2° ***Gratia vocationis.***—Electio statûs perfectionis actus est salutaris, ad quem igitur gratia actualis necessarie requiritur. Non sufficit ergo ut homo modo mere naturali doctrinam Christi de consiliis evangelicis sequendis prædicare audiat aut in evangelio legat, atque vi naturalis voluntatis tantum ad ea observanda sese determinet; oportet adhuc ut homo a Spiritu Sancto simul de doctrinâ consiliorum evangelicorum illuminetur et ad ea sequenda inspiretur. Aliis verbis, indiget gratiâ vocationis. Suppositâ divinâ invitatione, eo ipso, hæc gratia vocationis necessario habetur et proxime vocato physica aptitudo et moralis facultas inest Dei suasioni obtemperandi.

1049. — B) **Ex parte hominis vocati** seu ad vocationem in concreto habendam præter Dei invitationem atque gratiam vocationis, requiritur libera hominis cooperatio. Gratia enim nostrum liberum arbitrium minime lædit, oportet igitur ut homo libere influxui gratiæ consentiat.

1050.—C) **Ex parte termini** variæ etiam attendendæ sunt considerationes: invenitur enim status perfectionis interior coram Deo, et exterior coram Deo et Ecclesiâ, et hic posterior sub variis formis hodie in Ecclesiâ invenitur.

His prænotatis, et auctoritate S. Scripturæ, S. Ecclesiæ [1] S. S. Patrum et eximiorum theologorum innixi, sequentes affirmare possumus propositiones.

1. — Deus, in abstracto, modo generali, omnes fideles, ratione capaces, ad statum perfectionis invitat.

(1) Codex Juris. Can. 538: "In religione admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur, et ad religionis onera sit idoneus."

2. — Deus in concreto non omnes invitat, licet tamen ad consilia evangelica sequenda vocatio Dei ordinaria sufficiat, et de ejusdem existentiâ facili modo dijudicare possimus. Unde

3. — Ad vocationem stabiliendam necessario requiritur deliberatio, et 4. — Omnes sedulo exhortandi sunt ad vocationem exsequendam.

Propositio I.— *Deus, in abstracto, modo generali, omnes fideles, ratione capaces, ad statum perfectionis invitat.*

1051.— Varii inveniuntur auctores, qui Christi et Apostoli Pauli verba allegant et stabilire nituntur vocationem specialem ad statum perfectionis esse necessariam. Unde ad nostram assertionem probandam duplici procedemus modo: negativo nempe et affirmativo.

1052.— 1° **Probatio negativa.**— Nullo argumento ex Scripturâ sacrâ sumpto arguere possumus Deum unicuique hominum, ante usum liberi arbitrii assignare statum tali modo amplectendum, ut alterum eligens, divinæ providentiæ gubernationi resistat et hanc specialem Domini invitationem declinans quasi reprobationem incurrat.

Etenim omnia Scripturæ testimonia quæ ad necessitatem vocationis specialis probandam allegantur, sunt potissimum sequentia.

1) Christus ad sui imitationem paucissimos vocavit.

2) Consilia evangelica hominibus proponens ipse Dominus addidit: [1] *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est... Qui potest capere capiat.*

3) Et statum perfectionis consulens illico subdit [2]: *Quis ex vobis volens turrim ædificare, non prius sedens computat sumptus qui necessarii sunt, si habeat ad perficiendum.* Non

(1) MATTH. XIX, 11, 12.— (2) LUC. XIV, 28.

omnes igitur habent sumptus necessarios ad turrim ædificii spiritualis ædificandum.

4) Christus discipulis viam perfectionis sequentibus dixit: [1] *Non vos me elegistis; sed ego elegi vos.*

5) Nec aliter sensit Apostolus Paulus qui hæc habet verba [2]: *Volo enim omnes vos esse sicut meipsum; sed unusquisque proprium donum habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic...* [3] *Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet,* et

6) Alibi [4]: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron.*

Sed hæc Christi et Apostoli verba minime probant vocationem stricte specialem ad statum perfectionis amplectendum esse requisitam.

Etenim 1) *Christus paucos ad sui imitationem invitavit* vocatione speciali et sensibili; expressisque verbis et quidem ad apostolatum immediatum, optime conceditur, sed inde vocatio generalis non denegatur.

2) *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est, qui potest capere, capiat.* Hæc verba exponens, S. Gregorius Nanzianzenus [5] merito dicit: "Cum audis, inquit, *quibus datum est,* adde: datum esse iis qui volunt et assentiuntur." Nam, ait Eximius Doctor Beelen [6], verba ista non hoc significant: Deum hoc donum gratiæ aliis esse largiturum, aliis vero negaturum; minime; omnibus est oblatum et omnibus rite orantibus est obtinendum. [7]

3) *Verba de sumptibus necessariis ad perficiendum* opus ædificii spiritualis non de vocatione ad statum perfectionis, sed de regno Messianico dicta sunt et de firmitate et constantiâ omni homini Christo adhærere desideranti, neces-

(1) JOANN. XV, 16.— (2) I COR. VII, 7.— (3) VII, 17.— (4) HEBR. V, 4.— (5) Orat 37 (alias 31) in Matth. XIX, 11. P. G. t. 36, c. 298.— (6) in h. l. — (7) De zin dier woorden is niet deze: Dat God die genadegave aan sommigen wil geven, aan anderen integendeel niet wil geven; neen, zy is aan allen aangeboden en verkrygbaar voor allen die daarom bidden gelyk het behoort. Cfr. etiam Vermeersch o. c. t. II, suppl. III, p. 20.

sariis, "ne obortâ tentatione a proposito recedat et ignaviæ ignominiam apud omnes incurrat." [1]

4) *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos,* en verba, non de vocatione religiosâ, sed de vocatione ad apostolatum prolata.

5) *Unusquisque proprium donum habet ex Deo.* Hæc Scripturæ verba, sequenti modo, cum S. S. Patribus interpretatur Cornelius a Lapide [2]: "Sensus illius loci: *Unusquisque proprium donum habet ex Deo,* est quasi diceret: Elige statum quem tu vis, et Deus dabit tibi gratiam competentem et propriam, ut in illo statu decenter et sancte vivas. Ita Ambrosius." Et vero "Hoc est, inquit S. Antistes [3], unusquisque juxta votum suum donum Dei habet, ut si velit, ipsius nutu Dei, possibilitatem consequatur. Ideo non debet quis constringi; ne a licito prohibitus, illicita admittat; sed ipse sibi eligat, quid sequatur." "Et hoc proprie hic intendit Apostolus." [4]

Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet... Unusquisque in quâ vocatione vocatus est, in eâ permaneat. "Veræ vocationis terminus hoc loco non est nisi fides, merito docet P. Vermeersch [5]: Adjuncta autem in quibus quis ad fidem est vocatus, per quamdam metonymiam dicuntur vocatio. Ita ergo exponenda sunt priora verba, *Unumquemque sicut vocavit Deus, ita ambulet:* In quo honesto statu unusquisque erat cum a Deo est *ad fidem vocatus,* ita ambulet: nullâ factâ statûs mutatione; posteriora autem, *Unusquisque in quâ vocatione vocatus est, in eâ permaneat,* hoc significant: "Unusquisque in quibus statûs adjunctis erat quando ad fidem est vocatus, in iis permaneat." Id eruitur ex contextâ oratione."

---

(1) J. KNABENBAUER in h. l.— (2) In 1 Cor. cap. VII, 7, P. PIATUM. o. c. T. I, q. 39. p. 40.— (3) S. Ambrosius Comment. in Epist, 1 ad Corinth. c. VII, 7. P. L. t. 17. col. 229..— (4) CORN. a LAPIDE, l. c.— (5) O. c. t. 2, Suppl. 3 *de vocatione religiosa,* p. 23.

6) Demum: Verba: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron*, nihil faciunt ad rem, siquidem Apostolus hoc loco de summo sacerdotio loquitur.

His igitur et similibus S. Scripturæ textibus minime stabilitur necessitas vocationis specialis ad viam consiliorum percurrendam, et jure merito negare possumus Deum, si excipis B. M. Virginem et aliquos Dei sanctos, determinasse quinam per viam mandatorum, qui vero consiliorum ad salutem æternam tenderent:

1053.—2° Probatio positiva.— 1) Christus Dominus et 2) S. Paulus fideles ad statum perfectionis amplectendum exhortantes, verbis utuntur generalibus quæ neminem excludunt. Unde 3) cum S. S. Patribus concludere possumus Deum in abstracto omnes christianos ad viam consiliorum invitare.

1) VERBA CHRISTI.— Priusquam Christi verba, quibus statum perfectionis omnibus fidelibus proponit, præ oculis proferimus, sciendum est, Frater, Dominum consilia evangelica fidelibus suadentem, eadem *sub voto* sequenda suadere, et eo ipso eos invitare ad statum perfectionis amplectendum [1]. S. Bernardinus Senensis [2], de sacrâ religione agens, inter alia hæc habet: " Tu, qui vere et pure notitiam veritatis quæris, fideliter disce, quod ubi Christus consulit, et commendat assumptionem evangelicorum consiliorum propter perfectionis amorem, semper intelligit et satis innuit illa assumenda esse sub voto. Nam [3], dans consilium de paupertate ait: *Si vis perfectus esse, vade, et vende omnia, quæ habes, et da pauperibus; et habebis thesaurum in cœlo, et veni, sequere me.* Non enim perfecte relinquit omnia, qui sibi retinuit licentiam requirendi illa, quod satis aperte patet. Item in eo [4], tribuens consilium de castitate ait: *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum cœlorum.* Sed mani-

(1) P. PIATUS. N. R. T. t. 8, p. 527 seq.— (2) O. c. t. 2, Serm. 24, arg. 12, p. 222.— (3) MATTH. XIX, 21.— (4) MATTH. XIX, 12.

feste patet, quod non se perfecte castravit, qui sibi retinuit facultatem nubendi. Dans consilium [1] de perfectâ obedientiâ ait: *Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.* Quis dubitat, quod qui quantum potuit libertati suæ non renuntiaverit, quod perfecte libertatem suam non abnegavit? Nec insuper perfecte sequitur Christum, qui hanc sequelam, seu subjectionem, ac discipulatum voto non est professus. Ideo sicut ex verbo Virginis, quando [2] ait angelo: *Quoniam virum non cognosco,* Augustinus et alii sancti arguunt eam virginitatem vovisse; ita ex verbo illo Petri [3]: *Ecce reliquimus omnia,* accipit Augustinus [4] Apostolos paupertatem vovisse, dicens quod hoc votum potentissime voverant potentes illi. Apostolus autem [5], loquens de consilio virginitatis, quod Christus dedit, manifeste ostendit illud intelligi debere sub voto. Loquens enim de virginibus quæ virginitatem reliquerunt, dicit: *Quod habent damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Si enim sub voto virginitatem non assumpsissent, ex eo quod eam reliquerant, damnationem nullam haberent, nec vere primam fidem irritam fecissent. Fides enim non potest ibi proprie pro alio sumi, nisi pro fideli promissione et sponsione. Insuper Christus non præcepisset apostolis, quando misit eos ad prædicandum, formam vivendi et eundi in paupertate, sicut patet [6], nisi prius Christo voluntatem suam per perfectam obedientiam subjecissent. Ad consilia autem nemo per præceptum adstringitur, nisi prius ipse voverit ea."

Jam vero, audi Dominum consilia fidelibus proponentem. *a) Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, sequere me* [7].

Licet Christus verba hæc ad personam singularem direxerit, invitatio tamen ut generalis haberi debet. Nam post-

(1) MATTH. XVI, 24.— (2) LUC. I, 34.— (3) MATTH. XIX, 27.— (4) *De Civitate Dei.* Lib. 17, cap. 4, n. 6, P. L. t. 41, col. 530.—(5) I, TIM. V, 12. —(6) MATTH. VI.— (7) MATTH. XIX, 21.

quam juvenem invitaverat, Salvator dixit: *Omnis qui reliquerit domum... aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam æternam possidebit* [1]. Unde de invitatione Christi ad evangelica sequenda consilia, affirmare possumus, eam ad omnes fideles directam esse, et Dominum, hic, sicuti in aliâ circumstantiâ [2], dixisse: *Quod vobis dico, omnibus dico.*

b) De castitate agens, Dominus dicit [3]: *Sunt eunuchi qui se ipsos castraverunt propter regnum cœlorum. Qui potest capere capiat.*

" His verbis, inquit Bellarminus [4], adhortatur Dominus ad continentiam, ut... omnes interpretes docent ", et igitur clare apparet hoc consilium omnibus directum esse. " Nota, ait Cornelius a Lapide [5], hic consilium evangelicum cœlibatûs a Christo promulgatum, et *omnibus* propositum, imo consilium, sed et non præceptum. Hæc enim verba: *qui potest capere, capiat,* sunt hortantis et animantis ad cœlibatum, ait S. Hieronymus et Chrysostomus, ac proinde significant illum a Christo consuli, ideo eumdem esse in nostro arbitrio et potestate, si gratiam Dei invocare, illique strenue cooperari velimus. Nec obstat quod dicit: *qui potest;* hoc significat dumtaxat cœlibatum esse rem arduam, quasi diceret: Qui vult sibi vim inferre, qui vult libidini generose resistere, qui vult ad arduum continentiæ culmen conscendere, ille eamdem amplectatur, *capiat* et capescat... Omnes ergo fideles habent potentiam non proximam, sed remotam ad continendum. "

2) VERBA S. PAULI. — *De virginibus,* ait Apostolus [6], *præceptum Domini non habeo; consilium autem do, tanquam misericordiam consecutus a Domino, ut sim fidelis. Existimo ergo hoc bonum esse propter instantem necessitatem, quoniam bonum*

(1) MATTH. XIX, 29. — (2) MARC. XIII, 37. — (3) MATTH. XIX, 12. — (4) *De monachis,* Lib. 2, cap. 31. — (5) Comment. in Matth. XIX, 12. — (6) I, COR. VII, 25, 26.

est homini sic esse. En, Frater, exhortatio S. Pauli ad Corinthios. "At quis, rogo, ait Card. Bellarminus [1], sapiens hortaretur unquam ad id, quod non est in potestate? Num quis unquam hortatus est homines ut prophetæ fiant, aut robusti ex debilibus, proceri ex parvis, formosi ex deformibus?"

3) Testimonia S. S. Patrum.—S. S. Patres invitationem ad viam consiliorum ad omnes esse generaliter directam variis in locis aperte docent.

Origenes in suo commentario Evangelii S. Matthæi [2], ad verba: *qui potest capere capiat* [3], ait "Qui vult capere verbum quod de castitate positum est, petat credens dicenti et accipiet non dubitans de illo quod dictum est: qui petit accipit." Nam "nemo putet, inquit S. Hieronymus [4], sub hoc verbo [5], vel fatum, vel fortunam introduci, quod hi sunt virgines, quibus a Deo datum sit, aut quod quidam ad hoc casus adduxerit: Sed his datum est qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt. Omni enim petenti dabitur, et quærens inveniet, et pulsanti aperietur." "Regula S. Benedicti omni homini proponitur, docet S. Bernardus [6], imponitur nulli. Prodest, si devote suscipitur et tenetur; non tamen, si non suscipitur, obest."

Ita tenent præter Tertullianum [6], S. Chrysostomus [7], S. Ambrosius [8], S. Augustinus [9], S. Basilius [10], S. Gregorius Nanzianzenus [11], et alii. [12]

---

(1) *De monachis*, Lib. 2, cap. 31.— (2) P. G. t. 13, col. 1251.— (3) Matth. xix, 12.— (4) P. L. t. 26, col. 140, vers. 11.— (5) Matth. xix, 11.— (6) *De præcept. et dispens.* c. 1, P. L. t. 182, col. 862.— (6) *De monogamia* cap. xiv. P. L. t. 2. col. 1000. Tempore tamen quo hoc scripsit, fuit jam hæreticus.— (7) *De Virg.* P. G. t. 48, c. 533, sq.; in Matth. xix, 11. P. G. t. 58, col. 599.— (8) *De virginibus, de viduis, de virginitate*, Exhortatio virginitatis, P. L. t. 16.— (9) *De bono conjugali, de sancta virginitate.* P. L. t. 40 v. g. c. 381.— (10) Epist. 173, P. G. t. 32, c. 647-649.— (11) Orat. 37 (alias 31) in Matth. xix, 11. P. G. t. 36, col. 298.— (12) Cfr. P. Fiatus o. c. t. 1 q. 39, N. R. T. t. 8 p. 531-534.

Concludimus igitur Christum *in abstracto* statum perfectionis omnibus fidelibus commendasse, eosque ad eum amplectendum invitasse.

Propositio II. — *Deus in concreto non omnes invitat, licet tamen ad consilia evangelica sequenda, vocatio Dei ordinaria sufficiat, et de ejusdem existentiâ facili modo dijudicare possimus.*

1054.— Quamvis Christus statum perfectionis ut *secundum se* meliorem proponat, et modo generali, et in abstracto omnia Ecclesiæ membra ad eum sequendum invitet, 1) non eo ipso sequitur, Frater, eum in concreto omnes ad consilia invitare, et statum perfectionis ab omnibus Ecclesiæ membris, in omnibus circumstantiis, ut magis expeditiorem esse amplectendum; 2) etsi tamen vocatio ordinaria sufficit, et 3) de ejusdem existentiâ facile dijudicare licet.

1055.— 1° **Non omnes in concreto vocantur.**— Licet enim consilia media sint aptissima ut fideles expeditius et facilius ad salutem et perfectionem tendant, non sunt tamen media *absolute* necessaria ad talem scopum attingendum [1]. Et Christus Dominus in abstracto consilia omnibus fidelibus proponens, ea iisdem necessario proposuit, prævidendo non nimis multos hanc normam vivendi esse amplecturos. Et sane duplicem statum in suâ instituit Ecclesiâ, statum nempe communem et perfectionis; et igitur ex Dei voluntate antecedente et absolutâ necesse est ut quædam membra Ecclesiæ ad salutem tendant per viam mandatorum, quædam per consiliorum; et per consequens non omnes in concreto ad statum perfectionis vocavit. Etenim ratione circumstantiarum habitâ, evenire potest beneplacitum Dei esse ut aliquis in statu communi permaneat. Hoc enim ex canonizatione Sanctorum facile deducitur. Ecclesia per suum magisterium authenticum et infallibile sanctos canonizatos fidelibus

(1) Cfr. n. 884.

tanquam exempla virtutum proponit. Jam vero, si beneplacitum Dei in ipsis electio fuisset statûs perfectionis, in statu communi permanendo, imperfectionis formalis rei fuissent, quod nullo pacto est admittendum. Nihilominus

1056.— 2° Vocatio Dei ordinaria sufficit, aliis verbis non requiritur propensio naturalis, neque supernaturalis extraordinaria; sed motio supernaturalis seu propensio rectæ voluntatis gratiæ ordinariæ cooperantis.

Non requiritur propensio naturalis, i. e. quæ ex causâ nascitur mere naturali. Homines ærumnis attriti vel indole melancholicâ affecti sæpe consortium abhorrent hominum, et sese a mundo segregare peroptant; dein cum similitudo per se causa sit amoris, mirum nemini videri debet aliquos homines, dispositiones habentes naturales ad varia adeunda munia alicui religioso Ordini propria, naturaliter allici ad talem statum amplectendum. Hæc propensio igitur *per se* vocationem non denotat, siquidem rationibus innititur mere naturalibus. Dicimus *per se*, nam simul adesse potest vera supernaturalis voluntas, et inter media numeratur quibus divina voluntas homines ad statum religiosum dirigere solet.

Non requiritur propensio supernaturalis extraordinaria, sed ordinaria.

1) Etenim Deus in abstracto omnes Christi fideles, ratione capaces, ad statum perfectionis invitat. Si ergo in concreto aliquis Christi fidelis, ex suâ parte, nullum invenit impedimentum ad viam consiliorum percurrendam, non est cur dubitet quin invitatio Dei generalis ad se directa sit et gratia vocationis ei non largita sit, et proinde de beneplacito Dei securus esse potest.

2) Hæc veritas probatur ex testimoniis S. Scripturæ, S. S. Patrum et eximiorum theologorum, quibus usi sumus ad vocationem generalem stabiliendam. S. Thomas in specie hæc habet verba [1]: "Sic verba Christi quæ in Scripturis

(1) Opusc. *Contra retrahentes a religionis ingressu*, cap. 9.

dicuntur, debemus accipere ac si ab ipsius Domini ore audiremus... Non minus sequendum est hoc consilium ab unoquoque, quam si unicuique singulariter ex ipsius ore dominico proferretur." "Detur ergo, inquit infra [1], quod diabolus aliquem incitet ad religionem intrandum, hoc opus bonum est, et bonis angelis congruum, unde non est periculum si quis ei in hoc consentiat."

3) Dein experientiâ constat, ordinarium pabulum quo tot fideles, præcipue juniores ad refugium vitæ claustralis alliciuntur, quindecim præcipue affici hamis, qui sunt:

1. Conversationes et conciones in quibus vita religiosa laudatur.

2. Præsentia religiosorum et monasteria viciniora.

3. Audire religiosos concionantes, præsertim in collegiis et seminariis.

4. Dignitas, spiritualis nobilitas, et utilitas talis vel talis instituti Religiosi ac proinde alumnorum ejusdem. Multi enim, dum numerum Sanctorum quibus talis Religiosus Ordo decoratur, mente revolvunt, irresistibili quâdam æmulatione incitantur ad similem vitam instituendam.

5. Lectio vitæ alicujus magni Religiosorum Parentis.

6. Exemplum aliorum, præcipue amicorum et notorum, qui lætantes nomen Religioni dare festinant.

7. Timor mundanæ corruptionis.

8. Desiderium internæ pacis et quietis.

9. Timor mortis et inferni.

10. Ardens desiderium redimendi per veram pœnitentiam anteactæ vitæ errata.

11. Exspectatio securior æternæ beatitudinis, majorisque gloriæ in regno cœlorum.

12. Amor vitæ clericalis sub jugo obedientiæ.

13. Fallaciæ, mala fides et falsæ promissiones mundi et mundanorum.

---

(1) L. c. cap. 10.

14. Humiliationes, opprobria etiam leviora sed frequentiora.

15. Devotio et filialis dilectio et fiducia erga B. M. Virginem [1].

Qui prius his vel similibus mediis ad statum perfectionis amplectendum allecti, dein judicant beneplacitum Dei esse ut de facto religionem aliquam ingrediantur, non extraordinario sed ordinario modo vocati recenseri debent, magis active quam passive sub manu Dei se habent, et non, prout ad vocationem extraordinariam requiritur, ante humanam consultationem atque deliberationem, de beneplacito divino certiores fiunt.

At, quæso, Frater, quis dicere audeat, hos de Dei beneplacito ad statum perfectionis amplectendum, non esse sufficienter instructos?

4) Suarez [2] docet sæpe expedire "religionem ingredi sine alio speciali desiderio, aut affectu superius immisso, ex vi solius efficacis electionis factæ maturo judicio post talem consultationem: nam quod hoc sæpe expediat, et experientiâ compertum est et ratione, quia in aliis operibus virtutum sæpe conveniens est, vel potius necessarium hoc modo operari; ergo et in præsenti, quia non est ratio cur hic semper exspectanda sit extraordinaria gratia, vel vocatio Spiritûs Sancti."

Inde vides, Frater, vocationem in concreto adesse facile demonstrari posse.

1057. — 3° **Signa vocationis** potissimum sunt 1) hominis bona voluntas, atque 2) ejusdem ad terminum vocationis idoneitas.

---

(1) Cfr. Tutamentum Seraphicum sive salutares exhortationes ad vitam minoriticam efficaciter promovendam, instaurandam et conservandam. Analect. O. M. Capuc. t. 2, p. 177 sq.; 205 seq.; p. 271 sq.; p. 361 seq.; — t. 3: p. 49 sq.; p. 110 sq. — t. 4, p. 83 seq.; p. 112 seq. — (2) *De religione* t. 7. L. 5, c. 8. n. 5.

1) *Hominis bona voluntas.*— Signum probatissimum omnis veræ vocationis, ait S. Franciscus Salesius [1], est bona voluntas, Deo confisa, ipsi in statu perfectionis serviendi. Quando autem bona voluntas adsit, infra dicetur, ubi de deliberatione instituendâ ad statum religiosum amplectendum.

2) *Idoneitas ad statum ad quem homo vocatur.*— Etsi non deliberandum est, utrum necne Deus alicui gratiam dederit vocationis "circa modum ingrediendi religionem et quam religionem aliquis ingredi debeat,... potest haberi consilium cum his qui non impediant," ait S. Thomas [2]. Dominus enim homines ad viam consiliorum invitans, nullam formam religionis præscripsit; at hodie, inspectâ Ecclesiæ legislatione, variæ requiruntur conditiones ad publice coram Ecclesiâ visibili statum perfectionis profitendum. Unde si Christianus sub motione gratiæ actualis sese determinat ad unum alterumve consilium in foro tantum interno observandum, nullâ aliâ indiget conditione, modo hæc vivendi norma conciliari possit cum officiis aliunde legitime susceptis; res tamen aliter se habet quando agitur de statu perfectionis publice profitendo.

Inde sequitur ad vocationem in concreto dijudicandam, deliberationem esse instituendam.

Propositio III. — *Ad vocationem stabiliendam necessario requiritur deliberatio.*

1058. — Ne quis temere aliquam religionem ingrediatur, sedula deliberatio necessaria est et prudentiæ consentaneum ducem consulere spiritualem. Oportet enim ut candidatus,

(1) Lettre 742, t. II, *Œuvres.* Paris 1833: "La bonne vocation n'est autre chose qu'une ferme et constante volonté que la personne appelée a de vouloir servir Dieu en la manière et aux lieux auxquels sa divine Majesté l'a appelée. Cela est la meilleure marque qu'on puisse avoir pour connaître quand une vocation est bonne."—(2) 2. 2. q. 182, a. 10, et opusc. *Contra retrahentes,* c. 9.

postquam vitæ perfectæ posuit fundamenta, tempore novitiatûs de electione factâ non pœniteat et onus nimis grave non portet.

Jam porro, variæ inveniuntur hominum dispositiones: 1) alii religionem determinatam amplecti desiderant; 2) alii de religione in specie amplectendâ dubitant; 3) alii demum, licet optime dispositi, parum vel nullum ad statum religiosum desiderium manifestant.

1° ***De his qui religionem determinatam amplecti desiderant.***

Attendendum hic est utrum candidatus proxime an remote tantum sit dispositus.

1059. — QUOAD PROXIME DISPOSITOS. — Si candidatus ad religionem anhelat propter motiva supernaturalia, et ad terminum vocationis, id est ad religionem quam amplexurus est, est idoneus, de veritate vocationis non est ambigendum. Unde deploranda est nonnullorum erronea opinio de paucitate vocatorum et eorum "exigentia in negotio vocationis, veluti si ii tantum vocati dici deberent qui extraordinariis signis et quasi miraculoso impulsu ducerentur. Omne vocationum genus magna adnexa habet ad salutem consectaria. Quando agitur de vocatione ad vitam sæcularem quæ tot pericula habet (absque novitiatu), vel de vocatione ad clericaturam sæcularem quæ probatam sanctitatem exigit, omnia facilia videntur, omnia magistraliter resolvuntur; sed quando res est de vitâ religiosâ in quâ habebitur tempus probationis et novitiatûs, statim enascuntur multiplices objectiones, hæsitationes, dubitationes; imponitur longa et periculosa mora, differtur consensus et practice, temerariâ quâdam exigentiâ, quæritur divina evidentia et quasi revelatio... [1]."

QUOAD REMOTE VOCATOS. — Etsi non est ambigendum de religione ingrediendâ quando agitur de proxime vocatis, res

(1) Tutamentum. — Analecta Cap. t. 2. p. 180.

aliter se habet quoad remote vocatos : tunc enim religionis ingressus non semper est consulendus. Ipse S. Paulus perspectis circumstantiis ad suum discipulum Timotheum [1] scribere non dubitavit : *Volo ergo* (viduas) *juniores nubere;* et in suâ Epistolâ ad Corinthios [2], his qui nullo voto adstricti et nimis tentationibus vexati sunt, consilium tradit matrimonium ineundi : *Quod si non se continent, nubant. Melius est enim,* inquit, *nubere quam uri,* igne nempe concupiscentiæ [3].

Omnino igitur necesse est ut dubium vocationis ad candidati 1. intentionem atque 2. idoneitatem ad religionem in specie amplectendam spectet.

1) *Dubium quoad candidati intentionem.*— Si electio statûs religiosi præcipua causa est humana, ut affectus ad aliquam personam talem statum profitentem, "supersedendum est consilio ingrediendæ religionis, donec affectus ad altiora provehatur ; imo dehortandi sunt ab ingressu quotquot spem non dant fore ut inter probationem humanæ rationes convertantur in divinas [4]," "ne cito post ingressum labile ruat fundamentum [5]."

Sciendum tamen est, uti jam pluries notavimus, humanas divinis rationibus sæpe misceri, et veram vocationem aliquando initium ducere ab humano quodam eventu, utpote humanâ quâdam clade vel incommodo [6].

2) *Dubium quoad candidati idoneitatem.*— Serio dein examinandum est ne quid obstet, ne impedimenta inveniantur

---

(1) I TIM. v, 14.— (2) I. CORINT. VII, 9. — (3) Hiermede wordt niet het geval gesteld van werkelyke ontuchtige overtredingen, maar de zin is : indien zy... zich moeilyk kunnen onthouden, en door geene belofte daartoe verplicht zyn, *dat zy* dan *trouwen, want,* ziedaar de reden van dezen raad des Apostels, *het is beter te trouwen dan te branden,* d. i. door het vuur der begeerlijkheid verzeugd te worden en tot ontucht te vervallen. Mgr. Beelen in h. l.— (4) P. VERMEERSCH, o. c. t. 2, p. 47.— (5) P. VERMEERSCH, ibid, nota.— (6) P. VERMEERSCH, o. c. t. 1, n. 129.— SUAREZ. *De Religione,* t. 7, L. 5, c. 8 n. 7.

quoad religionem in specie amplectendam. De his infra, ubi de vocatione franciscanâ.

MONITUM GENERALE QUOAD CANDIDATORUM DISPOSITIONES.— Etsi candidati, qui nimis continendi vel vitam communem cum ceteris ducendi experiuntur difficultates, parum apti ad vitam religiosam videntur, et ideo a nemine possunt stimulari ad religionem amplectendam; nihilominus tamen semper considerandæ sunt vires et spes emendationis, et si *ipsi* novitiatum ingredi desiderant. ut meliori modo de divino beneplacito certiores fiant, non sunt impediendi.

2° ***De his qui de instituto determinato dubitant,*** sapientia monita tradit Lessius [1].

1060.— Consultatio de religione et de religionis specie, si animo fluctuas, optime instituetur, ait, cum Deo, cum animo proprio, et cum viro religioso ac prudente.

a) Cum Deo: effundendo in conspectu ipsius cor tuum, ejusque sanctissimam voluntatem per preces, jejunia, sacrificia et sacramentorum frequentationem exquirendo, ut inspiret quod ipsi maxime placitum et tibi maxime salutare. Neque ullo modo dubitandum quin Deus sic deprecantem et ad se confugientem exaudiat.

b) Cum animo proprio initur ista consultatio, adhibitâ duplici consideratione: altera circa religionem de quâ deliberatur, altera circa propriam personam.

1) CIRCA RELIGIONEM quinque potissimum expendenda.

Primo, utrum necne *essentialia vota serventur:* ita ut absit proprietas et superfluitas, absint comessationes et compotationes, et liberiora cum feminis commercia quæ castitatis naufragium inferunt; absint exemptiones et libertas suo jure et arbitratu vivendi.

(1) Opusc. *De statu vitæ diligendo.* q. 4, n. 52-54.

Secundo, utrum necne *disciplina religiosa vigeat*. Hæc ostenditur moribus externis religiose compositis, reverentiâ in rebus divinis, modestiâ in congressibus, circumspectione in colloquiis, temperantiâ in mensâ, silentio in domo, quiete in cubiculo, denique exactâ regularum ad externam disciplinam pertinentium custodiâ. Nihil disciplinâ religiosâ exacte servatâ pulchrius, nihil ad exemplum et ædificationem efficacius.

Tertio, utrum necne *concordia et unio fraterna*. Ubi enim odia et discordiæ inter fratres, ibi non Christus sed Satanas habitat. Signum unionis est, si amice inter se agunt, et mutuo honorem deferunt; si invicem juvant, et alius de alio bene loquitur.

Quarto, utrum annon *ambitio locum habeat*. Religio enim est schola humilitatis et mortificationis. Itaque magnum religionis venenum ambitio, quâ ad dignitates, prælaturas, honorifica munia aspiratur.

Quod si bona commemorata in eâ religione, de quâ deliberas, deprehenduntur, tuto eam potes amplecti: erit enim tibi fidissima dux salutis.

Quinto, potest etiam in considerationem venire, utrum annon *formam habeat vitæ apostolicæ*: hanc enim S. Thomas [1] docet esse perfectissimam; quia vitam contemplativam conjungit cum excellentissimâ actione, quâ salus animarum (exemplo Christi Domini et Apostolorum ejus) procuratur. Unde, ceteris paribus, præferenda.

Præter hæc etiam nosse debet religionis *officia* et *functiones*, in quibus potissimum occupatur: *pœnitentias* item et *austeritates*, ut possit statuere idoneusne sit ad eam.

2) CIRCA PROPRIAM PERSONAM consideranda *talenta* a Deo accepta: nimirum valetudo corporis, vires ingenii, eruditio, aptitudo ad res gerendas, naturæ propensio.

His utrinque consideratis et inter se probe collatis, non

(1) I, 2. q. 188, a. 6.

difficulter cognoscere poteris, utrum talis religio tibi conveniat necne, eamque præ ceteris expediat amplecti.

c) Cum viro spirituali.— Cum viro etiam prudente et religioso, qui experientiam habet statûs religiosi, salubriter initur hæc deliberatio. Quid stultius quam mari vel terrâ iter facturus, eum ducem accipere, qui nunquam in vitâ suâ iter illud confecerit, cum alios promptos habeas, qui nihil aliud totâ vitâ suâ egerint? Huic tamen consiliario cavendum, ne quid cupide agat, et statim ad suam religionem pertrahere conetur... Præscribendæ certæ regulæ vel considerationes: quibus expensis per otium, ipsemet possit eligere quod in Domino visum fuerit magis salutare.

3° ***De his qui, licet optime dispositi, haud multum vel nullomodo manifestant desiderium religionem ingrediendi.***

1061.— Sæpe inveniuntur juvenes optime dispositi, et qui evangelicæ perfectionis pulchritudinem, honestatem atque utilitatem intelligentes, haud multum tamen vel etiam nullo modo de aliquâ religione amplectendâ cogitant, econtra vero ad statum matrimonii vel ad ministerium sacerdotale anhelant.

Etsi S. Thomas [1] *in genere* docet laudabile et admodum meritorium esse, ex caritate et veraciter, id est, absque violentiâ, deceptione, simoniâ tales dispositos ad religionem inducere, cum Suarezio [2] tamen addendum: hoc plerumque practice non expedire. "Timendum est, inquit, periculum inconstantiæ in eo qui sic attrahitur, quia postea, mutatis rebus, facile etiam mutatur illa pia affectio; rationes etiam illæ, quæ efficaciter propositæ, multum movebant, postea vel oblivioni traduntur, vel ita tepide considerantur ut nihil moveant; et ideo magnâ prudentiâ utendum est in hujusmodi actu inducendi alium ad religionem; petenti enim consilium, veritas libere proponenda est. Ille etiam quem Spiritus Sanctus movere cœpit juvandus est, vel ut in

(1) 2. 2. q. 189, a. 9. — (2) *De Religione*, Tr. 7, L. 5, c. 8, n. 10.

sancto proposito firmus maneat, vel ut Spiritui Sancto non resistat, sed potius per orationes et bona opera se disponat, ut ab illo efficacius moveatur. Prius autem quam Spiritus Sanctus incipiat aliquem vocare, raro expedit, ut opinor, illum directe inducere ad hunc statum assumendum, quamvis optimum sit ad Dei timorem et conscientiæ puritatem, et ad vitanda pericula peccandi quemlibet excitare, et inducere, simulque statûs religiosi commoda et excellentiam proponere."

Ex principiis hactenus de vocatione traditis jam variæ apparent obligationes hanc Dei invitationem respicientes.

Propositio IV. — *Omnes sedulo exhortandi sunt ad vocationem exsequendam.*

1062. — Deo vocante, necessario 1) expedit ut homo vocatus Dei suasioni obtemperet, etsi tamen per se nullam culpam moralem non obtemperando committit; 2) et ceteris omnibus incumbit obligatio hanc obtemperationem non impediendi.

1063. — 1. **Obligationes hominis vocati.**— Expedit ut homo qui cum certitudine affirmare potest se a Deo ad statum religiosum vocari, huic consilio obtemperet; secus enim obnoxius fieret imperfectioni formali. Attamen *per se* nullum committit peccatum, per accidens tamen peccati etiam mortalis reus fieri potest.

*a) **Vocatus Deo vocanti non obtemperando, per se nullum committit peccatum.***

1) Duplex ad salutem est via, præceptorum nempe et consiliorum. Via consiliorum autem unicuique fidelium non præcipitur, sed tamquam melior magisque salutaris proponitur. Unde per se nullum inveniri potest peccatum in eo qui viam consiliorum non eligat.

"Et sane, ait P. Steiger [1], eo quod Deus harum viarum alteram declaravit omnibus necessariam, alteram vero bonæ voluntati — "si vis" — commendavit, sufficienter declaravit se hominem etiam in hâc electione reliquisse "in manu consilii sui." A fortiori hominem liberum reliquit ut in viâ consiliorum incederet, juxta hanc vel illam formam individuam, quam varii Ordines religiosi sunt amplexi."

2) S. Thomas [2] aperte docet hanc esse perfectionem legis novæ "ut præter præcepta forent consilia"; et S. Ambrosius [3] de differentiâ inter præcepta et consilia agens, ait: "Quod igitur bonum est, non vitandum est; quod est melius, eligendum est. Itaque non imponitur, sed præponitur... Præceptum in subditos fertur, consilium amicis datur. Ubi præceptum est, ibi lex est: ubi consilium, ibi gratia est. Præceptum, ut ad naturam revocet; consilium, ut ad gratiam provocet. Et ideo lex Judæis lata est, gratia autem electioribus reservata est. Lex, ut a naturæ finibus culpæ studio demeantes, ad naturæ observantiam pœnæ terrore revocaret; gratia autem, ut electos cum studio bonorum, tum propositis etiam præmiis provocaret."

b) Per accidens tamen inveniri potest peccatum veniale, imo mortale, quando Deo ad viam consiliorum vocanti non obtemperatur.

1064. — *Peccatum veniale.* Cum ratio subjectiva cur Dei suasio negligatur, fundetur facillime in affectione ad res terrestras, ex hoc capite, peccatum, etsi generatim veniale, jam inveniri potest. Insuper propter neglectam vocationis gratiam homo se multis aliis gratiis atque meritis privare potest; et—utique nunquam non ex subsequenti culpâ—in gravia peccata delabi potest [4]:

(1) O. c. p. 126.— (2) 1. 2. q. 108, a. 4.— (3) *De viduis* c. 12. P. L. t. 16, c. 269.— (4) Cfr. LEHMKUHL, *Th. moral.* I, 510.

Peccatum mortale [1]. Cum Deus id quod consulere consuevit etiam imperare possit, sequitur, Frater, hominem sub reatu peccati mortalis ad religionem amplectendam teneri, si ex revelatione divinâ hoc præceptum sibi innotescit. Dein homo ex caritate erga seipsum sub gravi tenetur religionem ingredi qui " vehementi impulsu divino ad religionem attractus judicat, statum religiosum sibi esse unicum medium practice loquendo, quo fortes tentationes atque graves ac certas peccandi occasiones victurus sit." Ita Lehmkuhl [2]. Hic casus tamen rarissime invenitur, nam ex unâ parte hic vehemens impulsus persæpe abest, ex alterâ autem parte hæc subjectiva persuasio raro tam solidis innititur principiis quæ post sedulum examen abjici non possent [3].

2. **Quoad alios, præcipue parentes et superiores et patres spirituales.**

1065.— Etsi Deus electionem statûs religiosi liberæ hominis optioni relinquit, ceteris tamen potestatem non facit hanc eis libertatem auferre, et omnes qui alicui, de cujus constat vocatione, contrarium dant consilium cum prævisione id efficax fore, mortaliter peccant [4] contra caritatem ob grave damnum ei illatum. Si vero usi sunt vi vel metu, fraude vel dolo, peccant etiam contra justitiam, adeoque tenentur ad reparationem damni illati. [5]

Parentes tamen ob *justam causam* ingressum religionis impedire possunt, v. g. si candidatus nullam aptitudinem ostendat ad statum religiosum, etc.; imo regulariter expedit ut, per sufficiens tempus, constantiam filii explorent ut optime sciant ejus propositum omnino esse firmum.

(1) Quoad eos qui ex lege ecclesiasticâ vel ex voto religionem ingredi tenentur, theologi consulendi sunt; v. g. P. Piatus. t. I. q. 43, 48, 49. — (2) *Theolog. moral.* t. 2. n. 510, 3.—(3) Cfr. P. Vermeersch, o. c. t. 1, n. 128.— (4) P. VERMEERSCH, o. c. I, n. 132.— P. PIATUS, o. c. I. q. 46 seq.— (5) Cfr. P. Piatus, l. c. q. 47. Cfr. Vermeersch, l. c. n. 133.

Quoad patres spirituales. Sacerdotes sacro ministerio incumbentes in omnibus operibus suis tenentur animas ad rectam sanctitatis viam ducere. Unde omnes sive proxime sive tantum remote vocatos adjuvare tenentur ut ad tutam claustralem requiem perveniant. Eis regulæ discretionis spirituum conveniunt, quas inter alios in eximio Exercitiorum libro a S. Ignatio scripto invenient. Hic liber Magistri est et optimas tradidit normas ad discipulos in electione statûs juvandos.

Generatim omnes quos ad statum religiosum vocatos judicant, exhortentur opportunum est, ut exercitia peragant spiritualia, magisque operam dent orationi, pœnitentiæ, frequentandis sacramentis, ita ut ipsi magis atque magis vocem Dei invitantis audiant, atque ex propriâ persuasione magis quam ex alienâ definitione de existentiâ vocationis confirmentur ; etsi tamen aliquando eis qui animi sunt timidi et optime dispositi atque omnia unice directoris spiritualis auctoritati relinquunt, ingressus religionis directe suadendus est. [1]

* II.— De vocatione externâ seu de acceptatione ad Ordinem Franciscanum.

1066.— " Si qui venerint ad fratres nostros " et liberam suam voluntatem Ordinem ingrediendi manifestant, " mittant eos ad suos ministros provinciales, " ait S. Regula. [2]

Examen igitur et receptio candidati in Ordine Franciscano non ad fratres, sed ad solos ministros spectat.

Tenentur ergo fratres præcepto æquipollenti [3] ad se venientes mittere ad Provincialem. Hoc præceptum tamen hypotheticum est, ita ut certe idonei et ii de quibus dubitetur utrum necne requisitas pro Ordine qualitates habeant mittendi, inhabiles autem remittendi sint. Alias enim in-

(1) Cfr. P. Vermeersch o. c. t. 2, p. 50. 51.— (2) Reg. cap. II.— (3) Clemens V, " *Exivi.* " art. III.

juria fieret vel juveni inutile iter perficienti, vel Ordini malum membrum suscipienti. [1]

Inspecto jure, hodie in Ecclesia vigente, ut candidatus legitime ad probationem in Ordine acceptetur, præter rectam postulantis intentionem, *negative* requiritur ejusdem idoneitas seu exemptio ab impedimentis, et *positive* requiruntur aliquæ dotes.

1067.— A) ***De impedimentis.***

Impedimenta quibus aliquis a statu franciscano arcetur proveniunt 1) a lege nuturali vel 2) a lege ecclesiastiâ quæ omnes respiciunt Ordines religiosos vel 3) a Regulâ Seraphicâ et 4) pro nobis Fratribus Minoribus Capuccinis, a nostris Constitutionibus.

1068.—1° DE IMPEDIMENTIS JURIS NATURALIS quo arcentur:

a) Ob defectum rationis: infantes, idiotæ, amentes;

b) Ob defectum expeditæ libertatis: servi absque consensu domini; infantes impuberes, absque consensu parentum;

c) Ob officium cum vitâ religiosâ incompossibile, conjugati, de his remissive, item illi quibus incumbit obligatio sustentandi parentes, i. e. patrem, matrem, filios non emancipatos in gravi necessitate versantes, vel obligatio liberandi se ab ære alieno. [2]

1069.— 2° DE IMPEDIMENTIS JURIS ECCLESIASTICI.

Jure ecclesiastico can. 542:

1° *Invalide* ad novitiatum admittuntur:

Qui sectæ acatholicæ adhæserunt;

Qui ætatem ad novitiatum requisitam non habent;

Qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit;

Conjux, durante matrimonio;

Qui obstringuntur vel obstricti fuerunt vinculo professionis religiosæ;

---

(1) P. ALBERTUS A BULSANO, *Expos. Reg.* cap. 3, art 1, § 15, n. 2.— (2) P. STEIGER. o. c. p. 134; cfr. P. Piatus o. c. t. 1, q. 54 seq.

Hi quibus imminet pœna ob grave delictum commissum de quo accusati sunt vel accusari possunt;

Episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice sit tantum designatus;

Clerici qui ex instituto Sanctæ Sedis jurejurando tenentur operam suam navare in bonum suæ diœcesis vel Missionum, pro eo tempore quo jurisjurandi obligatio perdurat.

2° *Illicite*, sed valide admittuntur;

Clerici in sacris constituti, inconsulto loci Ordinario aut eodem contradicente ex eo quod eorum discessus in grave animarum detrimentum cedat, quod aliter vitari minime possit;

Ære alieno gravati qui solvendo pares non sint;

Reddendæ rationi obnoxii aut aliis sæcularibus negotiis implicati, ex quibus lites et molestias religio timere possit;

Filii qui parentibus, id est, patri vel matri, avo vel aviæ, in gravi necessitate constituti, opitulari debent, et parentes quorum opera sit ad liberos alendos vel educandos necessaria;

Ad sacerdotium in religione destinati, a quo tamen removeantur irregularitate aliove canonico impedimento;

Orientales in latinis religionibus sine veniâ scripto datâ S. Congr. pro Ecclesiâ orientali.

1070.— 3° A S. Regulâ [1] excluduntur.

a) Hæretici et.

b) Ligati vinculo conjugali.

1071.— 4° A Constitutionibus potissimum arcentur:

a) Qui non sunt mente et spiritu sani ac fervidæ voluntatis ut observantiam regularem et vitæ nostræ austeritatem ferre possint.

b) Qui fuerit novitius noster vel dimissus ex Ordine nostro sive ex seminariis aut aliis collegiis ecclesiasticis, absque speciali veniâ Sedis Apostolicæ.

(1) Cap. II.

c) Qui a quovis Ordine aut Congregatione dimissus aut expulsus fuerit, aut votorum dispensationem obtinuerit [1].

d) Qui quovis contagioso aut incurabili morbo laborat [2].

1072.— B) ***De positive requisitis.***

Præter exemptionem a supradictis impedimentis Codex Juris Can. 544 sequentia adhuc requirit:

§ 1.— In quâvis religione omnes adspirantes, antequam admittantur, exhibere debent testimonium recepti baptismatis et confirmationis.

§ 2.— Adspirantes viri debent præterea testimoniales litteras exhibere Ordinarii originis ac cujusque loci in quo, post expletum decimum quartum ætatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio.

§ 3.— Si agatur de admittendis illis qui in Seminario, collegio vel alius religionis novitiatu fuerunt, requiruntur præterea litteræ testimoniales, datæ pro diversis casibus a rectore Seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, aut a majori religionis Superiore.

§ 4.— Pro clericis admittendis, præter testimonium ordinationis, sufficiunt litteræ testimoniales Ordinariorum in quorum dicœcesibus, post ordinationem ultra annum moraliter continuum sint commorati, salvo præscripto § 3.

§ 5.— Religioso professo, ad aliam religionem ex apostolico indulto transeunti, satis est testimonium Superioris majoris prioris religionis.

§ 6.— Præter hæc testimonia a jure requisita, possunt Superiores, quibus jus est adspirantes in religionem cooptandi, alia quoque exigere, quæ ipsis ad hunc finem necessaria aut opportuna videantur.

Dein can, 555, § 1. Præter alia quæ in can. 542, ad novitiatûs validitatem enumerantur, novitiatus ut valeat, peragi debet:

---

(1) Const, cap. II, n. 7, 7a.— (2) Const, l. c. 9a.

1° Post expletum decimum quintum ætatis annum.

2° Per annum integrum et continuum.

3° In domo novitiatûs.

Præter exemptionem a supradictis impedimentis, sequentia adhuc requiruntur:

1.— *Ætas competens.*— Nemo inter clericos nisi annum decimum quintum, inter laicos vigesimum expleverit, recipitur [1].

2.— *Informatio de postulante.*— Superior priusquam candidatum acceptat, necesse habet sumere informationem de postulantis ætate, patriâ, natalibus, de mente, de voluntate, causâ ingrediendi, de conditione parentum, de fide, de scientiâ, de conditione liberâ postulantis etc. Si recipiendus est ut clericus, utrum annon litterarum studia peregerit quæ a S. Sede et Constitutionibus præscribuntur [2].

3.— *Litteræ testimoniales.*— In virtute S. Obedientiæ prohibetur Superior admittere candidatum antequam obtinuit litteras testimoniales tum Ordinarii originis, tum Ordinarii loci, vel locorum ubi postulans post 15 annum, ultra annum commoratus fuit [3].

En, Frater, omnia ab Ecclesiâ ordinata, ut Superior aliquem, non jam ad professionem, sed ad probationem acceptare valeat. Et optimo quidem jure; nihil enim tam nocivum puræ observantiæ regulæ, ut optime dicunt Constitutiones nostræ [4]. quam multitudo fratrum inutilium et sensualium.

Nihilominus tamen, licet diligens postulantium inquisitio peragatur, aliquando etiam improbi accipiantur omnino necesse est. Hoc experientia docet, et perpulchre probat S. Augustinus [5]: Forte qui monasterio præest dicturus est: " Cautus ero, nullum malum admittam.

Quomodo nullum malum admittes? Nullum hominem malum, nullum fratrem malum intrantem admissurus

(1) Const, l. c. 10ª .— (2) Const, l. c. cfr. P. Piatus l. c. q. 82.— (3) Decret. Pii IX, 25 Jan. 1848.— (4) Const. cap. II, n. 7.— (5) En. in Ps. 99, P. L. t. 37, col. 1277.

sum; cum paucis bonis bene mihi erit. Ubi cognoscis quem forte vis excludere? Ut cognoscatur malus, intus probandus est. Quomodo ergo excludis intraturum, qui postea probandus est, et probari nisi intraverit non potest? Repelles omnes malos? Dicis enim, et nosti inspicere. Omnes nudis cordibus ad te veniunt? Qui intraturi sunt, ipsi se non noverunt, quanto minus tu? Multi enim sibi promiserunt quod impleturi essent illam vitam sanctam in commune habentem omnia, ubi nemo dicit aliquid suum, quibus est una anima et cor unum in Deum [1]: missi sunt in fornacem et crepuerunt. Quomodo ergo cognoscis eum qui sibi ipse adhuc ignotus est? Excludes malos fratres a conventu bonorum? De corde tuo, quisquis ista dicis, omnes malas cogitationes, si potes, exclude: non intret in cor tuum vel suggestio mala. Non consentio, inquis. Sed intravit tamen, ut suggeret. Nam omnes munita corda habere volumus, ut nihil intret quod male suggeratur. Unde autem intret, quis novit?... Ubi ergo securitas? Hic nusquam; in istâ vitâ nusquam, nisi in solâ spe promissorum Dei."

§ II. — *De vocatione sacerdotali.*

1073.— Sicut pro statu religioso, ita pro ordine sacerdotali duplex distinguitur vocatio, una interna, altera vero externa.

Interna illa est, quâ Deus immediate hominem ad ordinem sacerdotalem suscipiendum invitat.

Hæc Dei suasio triplici diverso modo, uti pro statu religioso, fieri potest: nempe

a) Motione gratiæ Dei ordinariâ. Hæc supponitur adesse, quando homo, ad statum clericalem idoneus, rectâ intentione ministerium sacerdotale exercere desiderat. Vel

b) Motione Dei extraordinariâ, seu speciali, quæ adesse dicitur quando ante omnem humanam deliberationem homo

(1) ACT. IV, 32, 35.

instinctu Spiritûs Sancti extraordinario ad ministerium sacerdotale movetur. Vel demum

c) Motione per donum gratis datum, uti legitur de S. Ambrosio et aliquibus aliis.

Vocatio externa est legitima candidati assumptio ad ordinem sacerdotalem. Maximum hic deprehenditur statûs religiosi et ordinis sacerdotalis discrimen in vocatione externâ, merito dicit P. Vermeersch [1]. *Per se* enim non repugnat ut quis propriæ voluntatis motu, gratiâ Dei adjuvante, statum religiosum amplectatur; nam uti vidimus, hodie, ex legislatione tantum Ecclesiæ, necesse est ut candidatus ad Ordinem cooptetur. "Contra, externa ad statum ecclesiasticum assumptio *divinitus* necessaria est [2]." Concilium Tridentinum [3] hæc enim habet: "Si quis dixerit... eos, qui nec ab ecclesiasticâ et canonicâ potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros, anathema sit."

His dictis, jam faciliori modo doctrinam intelliges, Frater, quam Sedes Apostolica de vocatione sacerdotali tenet. Hæc enim habet [4]:

1. — "Neminem habere unquam jus ullum ad ordinationem antecedenter ad liberam electionem episcopi.

2. — Conditionem quæ ex parte ordinandi debet attendi, quæque vocatio sacerdotalis appellatur, nequaquam consistere, saltem necessario et de lege ordinariâ, in internâ quâdam inspiratione subjecti seu invitamentis Spiritûs Sancti, ad sacerdotium ineundum.

3. — Sed e contra, nihil plus in ordinando, ut rite vocetur ab Episcopo, requiri quam rectam intentionem simul cum idoneitate in iis gratiæ et naturæ dotibus repositâ, et per

(1) O. c. t. 2 p. 54. — (2) P. VERMEERSCH l. c. — (3) Sess. 23, can. 7. — (4) Lettre du Card. Secrét. d'Etat du 2 Juill. 1912 où il fait connaître le jugement d'une commission spéciale de cardinaux, chargés d'examiner et de conclure la question de la vocation sacerdotale. Jugement approuvé par S. Sainteté Pie X, le 26 Juin 1912.

eam vitæ probitatem ac doctrinæ sufficientiam comprobatâ, quæ spem fundatam faciant fore ut sacerdotii munera recte abire ejusdemque obligationes sancte servare queat."

Inde vides, Frater, vocationem Dei ordinariam seu rectam intentionem in idoneo postulante sufficere ut per competentem adoptetur.

Vocatio tamen Dei extraordinaria aliquando exsistit, et licet Episcopus Deo vocante absque peccato resistere non possit, vocatus tamen nullum unquam jus ad ordinationem habet, antecedenter ad liberam Episcopi electionem.

Hæc tibi sufficiunt, Frater; consilia vero ad vocationes sacerdotales promovendas atque stabiliendas, abunde apud varios auctores invenies. [1]

* ART II. — De probatione vocatorum.

1074. — Candidatus de Dei beneplacito edoctus, ut sub S. Francisci vexillo viam percurrat consiliorum, et a Ministro Provinciali rite examinatus et legitime admissus, Ordinem Franciscanum jam ingredi valet.

Duplex tamen ad Ordinem Minoriticum distinguendus est ingressus: alter quo fit initium probationis, alter vero quo vita religiosa sub voto assumitur.

Hic agitur de ingressu ad probationem seu novitiatum.

Jam porro, variæ inveniuntur Ecclesiæ et Ordinis Minoritici leges hunc ingressum et probationem spectantes, quæ omnes facile ad duo revocari possunt capita: Aliæ enim ordinant probationem postulantium ante habitûs sumptionem, aliæ vero ipsam novitiatûs temperationem.

Has regulas ad finem novitiatûs debito modo ordinatas, breviter percurremus, Frater, et dein tibi causas addiscemus

(1) Cfr. v. g. Mgr. L. J. Legraive: *Les vocations sacerdotales* dans "La vie diocésaine." Bulletin du diocèse de Malines. T. VII Fasc. I, Janv. 1913, p. 5-14 et fasc. II, Févr. 1913, p. 61-75.

cur novitii, licet novitiatus rite regatur, persæpe a suâ vocatione deficiant. Unde tres partitiones 1) De probatione postulantium; 2) de fine et temperatione novitiatûs, et 3) de causis defectionis novitiorum.

§ I. — *De probatione postulantium.*

1075. — Jam a Monachatûs primordiis mos erat ut ambienti intra cœnobii recipi disciplinam, non statim præberetur ingressus. Candidatus "non ante prorsus admittitur, ait Cassianus [1], quam diebus decem vel eo amplius pro foribus excubans, indicium perseverantiæ, ac desiderii sui, pariterque humilitatis ac patientiæ demonstraverit." Etsi, hæc Monachorum praxis jam abolita sit, et Ecclesia in locum hujus instituti probationem candidatorum substituerit per informationem a Superioribus circa ipsos sumendam et litteras testimoniales hunc ob finem ab Ordinariis petendas, nihilominus tamen, postulantes Ordinem ingressi, alicui probationi subjiciuntur ad vocationem nempe magis atque magis stabiliendam, "ut eorum innotescat bonum desiderium, et ipsi majori lumine, maturitate atque deliberatione tantum opus aggrediantur [2];" dein, ad veterem hominem exuendum ut novum, qui secundum Deum creatus est, in justitiâ et sanctitate, induere possint [3]. Medium autem aptissimum ad hunc duplicem scopum attingendum secessus est spiritualis per octo saltem integros dies protrahendus. [4]

Utilitatis causâ hic aliqua indicabimus consilia in hoc sancto exercitio observanda, et dein aliquas materias subjiciemus utiliter meditandas.

---

(1) *De Instit.* L. IV c. 2. P. L. t. 49, col. 155; lege comment. Alardi Gazæi, ibid.— (2) Const. O. M. C. n. 9. Cfr. Clemens VIII "*Cum ad regularem,*" 19 Mart. 1603. — (3) Cfr. Cœremoniale Rom. Seraph. n. 1530. — (4) Codex Juris canonici Pii X jussu digestus et Benedicti Papæ XV auctoritate promulgatus, Can. 541.

§ I. — De consiliis tempore secessûs observandis.

1076. — Durante recollectione, carissime Juvenis, omnia strictissime serva quæ a Patre Magistro sunt præscripta. In specie autem ad sequentia attendas, omnino necesse est:

1. *Ad patronum eligendum.* — Elige aliquem Sanctum, puta S. Franciscum vel patronum baptismi; eumque humillime roga ut toto recollectionis tempore tui gerat curam.

2. *Ad Dei auxilium postulandum.* — Ante meditationem et exercitia spiritualia Spiritûs Sancti lumen devotissime implora.

3. *Ad exercitia Ordinis addiscenda et observanda.* — Omnia in Ordine præscripta sedulâ attentione addisce et purâ intentione observa.

4. *Ad gratias agendas.* — Per diem sæpe Deo et Beatissimæ Virgini Mariæ gratias age pro beneficiis acceptis, potissimum tamen pro vocatione ad statum Franciscanum.

5. *Ad conscientiam emundandam.* — Omnia sic dispone ut die vestitionis novam ac sanctam jam instituere valeas vitam.

§ II. — De materiis utiliter meditandis.

1077. — Cum postulantes juxta Constitutionum præscriptum [1] probari debeant "quoad omnia quæ a fratribus servantur", et in Codice Juris legatur, [2] ut juxta prudens confessarii judicium, per generalem omnium peccatorum confessionem anteactæ vitæ conscientiam discutiant et expurgent, sequentes utiliter instituendæ sunt meditationes.

(1) Constit. O. M. C. n. 9. — (2) Codex Juris can. 541.

PRIMA DIE.

1ª Meditatio: *De excellentiâ secessûs spiritualis* [1].

2ª Meditatio: *De fine ultimo* [2].

SECUNDA DIE.

1ª Meditatio: *De electione statûs franciscani stabiliendâ et de veteri homine exuendo* [3].

2ª Meditatio: *De modo diem incipiendi, seu de surrectione a somno* [4].

3ª Meditatio: *De modo diem finiendi, seu de quiete nocturnâ* [5].

4ª Meditatio: *De modo Deum die ac nocte laudandi, seu de vigiliis nocturnis* [6].

TERTIA DIE.

Omnes meditationes: *de divino officio* [7] *et exercitiis spiritualibus Provinciæ propriis.*

QUARTA DIE.

1ª Meditatio: *De confessione in genere, de contritione et attritione* [8].

2ª Meditatio: *De examine conscientiæ* [9].

3ª Meditatio: *De confessione ejusque effectibus* [10].

4ª Meditatio: *De satisfactione* [11].

QUINTA DIE.

Omnes meditationes: *de oratione* [12].

---

(1) Cfr. n.275 seq.—(2) Cfr. n. 21 seq.—(3) Cfr. n. 282 seq. et 24 seq. — (4) Cfr. n. 313 seq. — (5) Cfr. n. 330 seq.— (6) Cfr. n. 395 seq.— (7) Cfr. n. 172 seq,—(8) Cfr. n. 32 seq.—(9) Cfr. n. 41 seq.— (10) Cfr. n. 45 seq.— (11) Cfr. n. 47 seq.— (12) Cfr. n. 182 seq.

SEXTA DIE.

Omnes meditationes : *de oratione mentali* [1].

SEPTIMA DIE.

Omnes meditationes : *de fine et temperatione novitiatûs* [2].

OCTAVA DIE.

Omnes meditationes : *de causis defectionis novitiorum* [3].

DIE SUMPTIONIS HABITUS.

De significatione habitûs [4].

§ II. — *De fine et temperatione novitiatûs.*

1078. — Per ingressum Ordinis Franciscani, carissime Frater, a durâ et tyrannicâ mundi et diaboli servitute jam es ereptus. In mari rubro, id est, in sacramento pœnitentiæ, sanguine Christi rubricato, quod tempore secessûs spiritualis peregisti, Pharaonem et exercitum ejus demersisti. Diaboli enim potestas confracta est, omnia peccata deleta, pravæ animæ propensiones enervatæ et mortificatæ ita ut jam in libertatem filiorum Dei transire valeas, et cum populo Israelitico canere [5]: *Dominus quasi vir pugnator; omnipotens nomen ejus. Currus Pharaonis et exercitum ejus projecit in mare; electi principes ejus submersi sunt in mari Rubro.*

Israelitæ, carissime Frater, viso ingenti prodigio quo, non suis viribus, non suis gladiis et armis sed solâ Dei omnipotentiâ a Pharaone erepti sunt, glorificaverunt Deum. Ita et tu, si compares præsentem statum gratiæ cum præ-

(1) Cfr. n. 134 seq. — (2) Cfr. n 1083 seq. — (3) Cfr. n. 1093 seq. — (4) Cfr. n. 293 seq. — (5) EXOD. XV, 3.

cedenti statu peccati, et conferas tristitias, remorsus conscientiæ, cordis anxietates, et labores vitiorum intolerabiles, ac amaritudines, quas sub diaboli tyrannide patiebaris, cum pace, gaudio, securitate et fiduciâ quâ in præsenti frueris, non posses amplius Deum non venerari nec ejus omnipotentiam non cognoscere, a quâ hæc mirabilis mutatio, et tam ingentia bona tibi promanarunt.

Ast, jam non in terrâ desiderabili, sed in deserto, id est, in novitiatu tantummodo es constitutus. Iter tibi adhuc peragendum est, et quam plurimæ probationes sustinendæ ut ad terminum vocationis tuæ per sanctam professionem pervenias. Ecclesia ob finem peculiarem hanc probationem præscripsit et temperavit. Unde 1° de fine novitiatûs et 2° de ejusdem probatione.

§ 1. — De fine novitiatûs.

1079. — **Quid est novitiatus?** — "Novitiatus, formaliter spectatus, est mutua candidati et religionis probatio, quâ prudens præparetur professio [1]." Inde vides, Frater, finem novitiatûs esse

1080. — 1° EX PARTE NOVITII *a) ut experiri valeat Religionis austeritatem ac vitæ institutum, utrum ea ferre poterit.*

Religionem amplecti Ordinis Seraphici est sese parare ad bellum, nam, sicut Pharao prosecutus est Israelem fugientem [2], ita diabolus juvenem in claustro manentem. Vitam religiosam ducere est abnegare semetipsum, tollere crucem suam, ascendere cum Christo Calvarium, sese clavis votorum cruci figere, in eâque totâ vitâ suspensus permanere, seque de eâ non detrahere, nisi cum tempus advenerit descendendi in sepulchrum mortis.

Res quidem menti perhorrida, a quâ tota abhorret natura! An ad talia sustinenda viribus sufficientibus perfruaris, Frater? Illud edoceberis experientiâ per annum probationis.

(1) P. VERMEERSCH, o. c. t. 1 n. 113. — (2) EXOD. XIV, 5 seq.

Ideoque curandum tibi est, ut tempore novitiatûs assuescas crucem tuam tollere, et sustinere quæcumque sacrificia et immolationes. Certo non exoptatur ut, postquam secutus fueris vexillum crucis, nomen personamque dederis militiæ Sancti Francisci, vita Seraphica tibi nimis dura appareat, ac forte dicere possis: *Si expertus essem et sciissem!*

Scito tamen, Frater, etsi in vitâ religiosi adsint dies asperi, etiam dies lætitiæ inveniri. Neque pax, neque gaudia, neque consolationes deerunt refugiis benedictis, quæ meritissime vocantur Paradisus terræ, quia ibi, sicut in cœlo, ineffabili modo gustatur bonitas Illius, qui dixit [1]: *Venite ad me omnes... Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.*

Insuper novitiatus ordinatur ad id

b) Ut novitii diligenter considerare queant utrum apti sint ad Ordinem quem sibi elegerunt.

Deus statuit fore ut semper illæsa stet juvenum libertas, et S. Franciscus solos voluit milites voluntarios. Æterna Sapientia decrevit Ordines dissimiles semper adfuturos, peculiari formâ præditos, ut Ordo qui non hujus, saltem illius candidati propensioni congruat [2]. Quapropter Ecclesia statuit ut per annum integrum Ordo, quem amplexus es, tibi exhibeatur una cum proprio suo fine, et mediis ad finem, cum virtutibus quas expostulat, cum indole quem exigit, cum pœnitentiis quas injungit, cum officiis et muneribus quæ mandat... Ideoque postquam omnia intuitus eris et cognoveris, tibi dicetur, Frater: "Libere potes vel nobiscum permanere, vel in mundum reverti."

1081. — 2° EX PARTE ORDINIS novitiatus institutus est ut Ordo novitii mores, genium et habilitatem probare possit, ne indignum in sui detrimentum recipiat. Quemadmodum enim novitius libere potest Ordinem suscipere, ita et Ordo libere potest recipere vel recusare novitium. Ordo perscrutari

(1) MATTH. XI, 28, 30. — (2) Cfr. n. 972.

debet illius valetudinem, naturam et indolem, vitia et habilitates, ut judicet an dignus sit qui intra ipsius gremium cooptetur: minoris enim esset perniciei Ordini dignum recusare, quam indignum suscipere novitium.

1082. — Ex parte utriusque, *ut per hoc tempus novitius ad vitam religiosam informetur.* Unde:

a) Superiores debent: 1) novitiorum ponderare indolem, vitia, virtutes et habilitates; 2) illorum vitia et defectus corrigere, suaviter quidem, sed etiam assidue, constanter et fortiter; 3) illorum adaugere et perficere virtutes; 4) inspirare spiritum S. Francisci ejusque Ordinis; 5) illos prudenter probare ac carnis crucifixioni, humiliationibus et sacrificiis assuescere; 6) illos sæpe repetitis hortationibus roborare, incitare, consiliari et ad bonum allicere; 7) illis tradere quænam ipsis imponantur officia et obligationes a Regulâ Constitutionibus, Ordinationibus, ceremoniis etc. [1].

b) Novitii autem debent: 1) sese munire firmâ voluntate ne forte animum despondeant; 2) attentam aurem præbere consiliis sapientibus quæ sibi dabuntur, eaque fideliter sequi; 3) se diligenter examinare, ut naturæ suæ corrigant vitia et defectus; 4) magnopere incumbere pietati ut obtineant Dei gratias, sine quarum auxilio *in vanum laboraverunt qui ædificant eam* [2]; 5) sedulo studere oneribus quæ sunt suscepturi mediis aptis ut virtutum progressionem prosequantur, zelo Ordinis quem sibi incutere debent, etc [3].

§ 2. — De temperatione novitiatûs.

1083. — Normæ ab Ecclesiâ [1] et Ordine Seraphico præscriptæ sequentia ordinant novitiatûs adjuncta, nempe

(1) Cfr, Const. n. 15, 18 et seq. Codex juris Can. 565. — (2) Ps. CXXVI, 1.— (3) Cfr. P. Piatus o. c. t. 1, p. 2, cap. 3, art. 1, q. 98.— P. Godefridus a Turnholto. *Novitius Capuccinus* Semita disciplinæ Seraphicæ. Tornaci, 1888. P. 3. cap. 2. p. 199 et seq.

(1) Constitutio "*Regularis disciplinæ*" 12 Mart. 1596, Clementis VIII;

1) ejusdem durationem, 2) locum atque 3) disciplinam; 4) bonorum quæ novitii possident renuntiationem et demum 5) novitiorum positionem juridicam. Quæ omnia breviter per partes sunt explicanda.

1084.—I.—De novitiatûs duratione.— Quoad novitiatûs durationem præscribitur, Frater, *a)* annus et quidem *b)* integer et completus, qui *c)* regulariter protrahi non potest.

a) Annus probationis.— Licet jam primi Monachi ordinarie per annum integrum suos probaverint novitios [1], nullum tamen jus positivum regebat hunc agendi modum Ecclesiæ et ex consensu tum religionis, tum novitii, tempus novitiatûs contrahere licitum erat. Dein annua experientia Ordinibus mendicantibus ab Alexandro III [2] præscripta fuit, et demum Concilium Tridentinum [3] omnibus Religionibus prohibuit ne is "qui minore tempore quam per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur." Idque sub pœnâ nullitatis professionis [4].

b) Annus integer et completus.— Hic annus certe pro Fratribus Minoribus incipit, non a die ingressionis in monasterium, sed a momento susceptionis habitûs [5], et debet esse integer et completus.

Codex Juris [6] hanc quæstionem lucide exponit: "Novitiatus interrumpitur, ita ut denuo incipiendus ac perficiendus sit, si novitius, a Superiore dimissus, e domo exierit, aut

— Decr. "*Sanctissimus*" 20 Jun. 1599, Clementis VIII;— Decr. "*Nullus omnino*" 25 Junii 1599 ejusdem pontificis;—Decretum "*Sanctissimus in Christo Pater*" jussu Innocentii XII, 18 Jul. 1695 editum; — Const. "*Debitum pastoralis officii*" Innocentii XII. Licet hæ constitutiones vel decreta, proprie tantummodo in Italiâ atque insulis adjacentibus vim habeant, optimam tamen normam tradunt ad rite novitiatum ordinandum. Et nostræ Constitutiones fere omnes has leges observandas præscripserunt.

(1) Cfr. Martene in suo commentario Reg. S. Benedict. P. L. t. 66, col. 816.— (2) De Regular. etc., in 6.— (3) Sess. XXV, De Regular. cap. 15.— (4) Concil. Trident. l. c.— (5) P. PIATUS, o. c. t. 1, P. 2 cap. 2. a. 1, q. 99, 3°.—(6) Can. 556, §§ 1, 2, 3, 4.

demum sine illius licentiâ non reversurus deseruerit, aut extra domum, etsi reversurus, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit quâcumque ex causâ, etiam de Superiorum licentiâ.

Si novitius ultra quindecim, sed non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorum licentiâ vel vi coactus extra domûs septa permanserit sub Superioris obedientiâ, ad validitatem novitiatûs necesse et satis est dies hoc modo transactos supplere; si non ultra quindecim dies, supplementum potest a Superioribus præscribi, sed non est ad validitatem necessarium.

Superiores licentiam manendi extra septa novitiatûs, nisi justâ et gravi de causâ, non impertiant.

Si novitius a Superioribus in aliam novitiatûs domum ejusdem religionis transferatur, novitiatus non interrumpitur."

NOTA.—Novitii si morte præveniuntur, ad eadem suffragia jus habent, quæ pro professis præscripta sunt [1].

c) Tempus probationis regulariter protrahi non potest.— Elapso statuto tempore, novitius ad professionem admittendus est, si habilis reperitur, vel dimittendus, si inhabilis [2].

Si dubius superest sitne idoneus, potest a Superioribus majoribus probationis tempus non tamen ultra sex menses prorogari.

1085.— II.— **De loco novitiatûs.**— Cum juxta SS. Patres et Ascetas ad animam a vitiis purgandam et virtutibus ornandam optimum medium sit solitudo, convenientissimum sane est, ait noster P. Albertus a Bulsano [3], ut novitii non solum a sæcularibus penitus segregentur, sed etiam a distrahente cum Fratribus professis conversatione retineantur." Ideo codex juris statuit:

---

(1) Codex Juris Can. 567, § 1.— (2) Cfr. Concil. Trident. Sess. XXV, cap. 16, de Regul; S. Congr. Episc. et Regul. 12 Jul, 1793, Codex Juris can. 571, § 2.— (3) Exposit. Reg. cap. II, § 24, n. 2.

"Erigatur domus novitiatûs ad normam constitutionum; si vero agatur de religione juris pontificii, ad eam erigendam necessaria est licentia Sedis Apostolicæ.

Plures in eâdem provinciâ novitiatûs domus, si religio in provincias divisa sit, designari nequeunt, nisi gravi de causâ et cum speciali apostolico indulto [1]."

Ecclesia et constitutiones nostræ ordinant etiam *a)* novitiatûs qualitates et *b)* familiæ novitiatûs membra.

a) Novitiatûs qualitates.— Jure præscribitur [2] ut

1° Novitiatus ab eâ parte domûs, in quâ degunt professi segregatus sit, ita ut, sine speciali causâ ac Superioris vel Magistri licentiâ, novitii nullam habeant communicationem cum professis, neque hi cum novitiis.

2° Conversis novitiis locus separatus adsignetur.

Oportet [3]:

3° Ut in novitiatu 1) "Locus hujusmodi propriâ clausurâ ab eâ parte conventûs et monasterii, in quâ degunt professi, segregatus sit atque distinctus, habeatque tot ad dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero novitii... in quo etiam cellula, vel certus ac determinatus locus pro Magistro ejusque socio reperiatur.

2) Præter alias communes commoditates, aptus locus adsit ad spirituales collationes seu conferentias faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri audiendas, et in quem hiemis tempore ad calefaciendum se igni communi recipiant.

3) Oratorium insuper, seu capella, si commode fieri poterit, ad novitios in spiritualibus, præsertim in cæremoniis, et ecclesiasticis functionibus exercendos.

4) Hortus quoque peculiaris ad honestam recreationem, bene conclusus, atque munitus adsit.

---

(1) Codex Juris. can. 554, §§ 1 et 2.— (2) Codex Juris. can. 544, § 1.— (3) Clemens VIII, *Cum ad Regularem*, n. 8 et seq. Const. O. M. C. n. 13.

5) Hujus loci clausuræ clavis apud Magistrum semper asservetur, illique soli liceat ex gravi tantum causâ ingressum illuc alicui permittere.

b) Quoad familiæ novitiatûs membra. — " Superiores in novitiatu ac studiorum domo ne collocent nisi religiosos, qui sint ad exemplum regularis observantiæ studio [1]. "

1086. — III. — **De disciplinâ novitiatûs.** — Hæc disciplina respicit *a)* positionem juridicam Magistri, *b)* instructionem atque educationem novitiorum, et *c)* novitiorum votationem.

a) Positio juridica Magistri. — Licet novitii personæ sint ecclesiasticæ, stricte tamen ut membra Ordinis non censentur. Attamen jure præscribitur ut potestati Magistri et Superiorum religionis subsint eisque obedire teneantur. [2] Imo [3] : " Uni Magistro jus est et officium consulendi novitiorum institutioni, ad ipsumque unum novitiatûs regimen spectat, ita ut nemini liceat hisce se, quovis colore, immiscere, exceptis Superioribus quibus id a constitutionibus permittitur ac visitatoribus ; ad disciplinam vero universæ domûs quod attinet, Magister, perinde ac novitii, Superiori est obnoxius."

b) Instructio et educatio novitiorum. — Constitutiones [4] ordinant ut Magistri " novitios edoceant non solum religiosas ceremonias et urbanitatis comitatisque usus, verum etiam, et potissimum, quæ ad spiritum referuntur, omnia necessaria ad Christum vere imitandum, qui est lux nostra, via, veritas et vita [5]." Codex autem Juris [6] Magistro novitiorum gravem imponit obligationem omnem adhibendi diligentiam ut sui alumni in religiosâ disciplinâ sedulo exerceantur, et normas sequentes statuit [7] :

(1) Codex Juris Can. 554, § 3. — (2) Ibid. can. 561, § 2. — (3) Ibid. can. 561, § 1. — (4) Constit. O. M. C. n. 15. cfr. Clemens VIII *Cum ad Regularem.* — (5) JOANN. XIV, 6. — (6) Codex Juris can. 562. — (7) Codex Juris can. 565, §. 1, 2, 3.

" Annus novitiatûs debet sub disciplinâ Magistri hoc habere propositum, ut informetur alumni animus studio regulæ et constitutionum, piis meditationibus, assiduâque prece, iis perdiscendis quæ ad vota et ad virtutes pertinent, exercitationibus opportunis ad vitiorum semina exstirpanda, ad compescendos animi motus, ad virtutes acquirendas.

Conversi præterea diligenter in christianâ doctrinâ instituantur, speciali collatione ad eos habitâ semel saltem in hebdomadâ.

Anno novitiatûs ne destinentur novitii concionibus habendis aut audiendis confessionibus aut exterioribus religionis muniis, neve deditâ operâ studiis vacent litterarum, scientiarum aut artium; conversi autem in ipsâ religiosâ domo eatenus tantum fungi possunt officiis fratrum conversorum (non tamen uti primarii officiales,) quatenus ab exercitiis novitiatûs pro ipsis constitutis non præpediantur."

Denique fungitur officio suo Magister, ait Servatius de Lairuelz [1], si novitios doceat, si circa ea, quæ docuerit, eos exerceat, si corrigat, si exploret, si observet, si consoletur, si exstimulet. Ad hæc capita totum Magistri officium reducitur."

MONITUM AD NOVITIOS. — Si tale Magistro incumbit officium, carissime Frater, scito, te non tantummodo consolationis gratiâ, sed desiderio majoris perfectionis ad eum recurrere teneri ac aliquando expedire ut absque consolatione Domino servias Audi potius S. Bernardum: " Quoniam arcta et ardua est via quæ ducit ad vitam, ait mellifluus Doctor, suos alloquens novitios [2], tanquam parvulis in Christo pædagogus vobis, o filioli, ac nutritius necessarius est, qui doceat, deducat, foveat vos, et tanquam alludat parvulis, ac blanditiis quibusdam consoletur, ne pereat ætas infirma. Propterea non ego, sed magis Ecclesiæ prin-

(1) Catechismus novitiorum, 1622; T. 1 Lect. 10, Docum. 1, p. 40.— (2) Serm. de divers. Serm. 8 (85) P. L. t. 183, col. 564.

ceps et pastor vos admonet: *quasi modo geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite,* ita sane ut in eo nequaquam permaneatis, sed *in eo crescatis in salutem* [1].

Quod alia quædam Scriptura manifestius exprimens loquitur sic: *Gaudete gaudio omnes qui lugebatis super eam* (Jerusalem) *ut potemini,* ait, *a lacte, et satiemini ab uberibus consolationis ejus; et cum avulsi fueritis a lacte, epulemini ab introitu gloriæ ejus* [2]."

NOTA. — *De novitiorum confessariis:*

1. "Magister novitiorum ejusque socius, superior seminarii collegiive sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eodem domo commorantium ne audiant, nisi alumni ex gravi et urgenti causâ in casibus particularibus sponte id petant [3]."

2. "Pro novitiorum numero unus vel plures habeantur ordinarii confessarii [4]."

3. "Præter confessarios ordinarios designentur aliqui confessarii, quos novitii in casibus particularibus adire libere possint, nec Magister ægre id se ferre demonstret [5]."

4. "Quater saltem in anno detur novitiis confessarius extraordinarius, ad quem omnes accedant saltem benedictionem recepturi [6]."

5. "Firmis constitutionibus quæ confessionem statis temporibus præcipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam, si religiosus, etiam exemptus, ad suæ conscientiæ quietem, confessarium adeat ab Ordinario loci approbatum, etsi inter designatos non recensitum, confessio, revocato quolibet contrario privilegio, valida et licita est; et confessarius potest religiosum absolvere etiam a peccatis et censuris in religione reservatis.

1087. — *c) De novitiorum votatione.*— "Quum se Domino dicaturus indubiam præbere debeat spem, quod ad servien-

(1) I PETR. II, 2.— (2) ISAI. LXVI, 10, 11.— (3) Codex Juris can. 891. — (4) Ibid. can. 566 § 2, 1° - (5) Ibid. 3° — (6) Ibid. 4°.

dum Deum aptus sit, et bonum testimonium habere ab iis quorum vitæ consuetudine utitur, statuimus, aiunt Constitutiones nostræ [1], ut a capitulo localiter per annum; id est, quarto, octavo et decimo novitiatûs mense pro novitiis fiat votatio per secretum scrutinium."

Vocales capituli sunt omnes religiosi familiæ novitiatûs, solemniter professi qui quatuor mensibus continuis vel circiter cum novitiis in eodem loco commorati fuerint [2]. Guardianus tamen et Magister valide et licite ferunt suffragium in admittendis novitiis quibuscum per duos tantum menses sunt commorati [3]. Nullus ad professionem admittendus est qui **majorem** votorum partem sibi faventem non obtinuerit [4]. Et licet Provincialis ex gravi causâ sibi notâ, et quam aliis patefacere non tenetur, [5] novitium qui pluralitatem votorum familiæ habuit, secundum conscientiam suam dimittere possit [6], tamen sub pœnâ nullitatis neminem ad professionem simplicem admittere potest absque majoris partis novitiatûs communitatis consensu. [7]

1088. — IV. De renuntiatione bonorum. — Christus Dominus adolescenti perfectionem ambienti dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus.* [8] Seraphicus autem Pater voluit ut eadem verba venientibus ad minoriticam religionem a ministris Provincialibus proferantur. " Dicant eis, ait S. Regula [9], quod vadant, et vendant omnia sua, et ea studeant pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant Fratres, et eorum Ministri, ne solliciti sint de rebus suis

(1) Constit. O. M. C. n. 21, cfr. Codex Juris, can. 675.— (2) Const. O. M. C. n. 21.— (3) Cap. Gen. XXXI, 34.— (4) Const. O. M. C. n. 21, cfr. Capit. Gener. XXXIII, 31, XXXVII, 22, XXXIX, 40, XLI, 44, XLIV. 60. Ad dignitatem vel indignitatem novitiorum dijudicandam, cfr. Regolamento etc. p. 19-24.— (5) Codex juris can. 571.— (6) Analect. O. M. C. t. VI, p. 180.—Collectio Auth. Ordinationum Cap. Generalium. Capitulum 31. n. 74, Analect. t. VII, p. 233. Cap. Gen. 41, n. 79.— Albertus a Bulsano notat. p. 85.—(7) Const O. M. C. n. 21. — (8) MATTH. XIX, 21.— (9) Reg. cap. II.

temporalibus, ut libere faciant de rebus suis quidquid Dominus inspiraverit eis: Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur."

Dicemus igitur 1) quid S. Pater hic, per hæc verba, intendat et 2) quid hodie, inspectâ Ecclesiæ legislatione, quoad renuntiationem bonorum observandum sit.

1089.— 1. *Quid S. Franciscus per supra citata verba intendit.*

Seraphicus Pater per verba a Ministris Provincialibus ad Ordinem venientibus dicenda, nihil aliud intendit, Frater, nisi conservationem puritatis Ordinis. Hæc autem Ordinis puritas, ait S. Bonaventura [1], "in tribus consistit, in venientium denudatione perfectâ, *(dicant eis* etc. *)*; in frugalitate recipientium manifestâ: *caveant Fratres ne solliciti sint*, etc.; et in directione ad relevationem pauperum discretâ: *Si consilium*, etc."

a) De venientium denuditate.— Omnibus ad Seraphicum Ordinem venientibus nihil magis necessarium est, quam ut cor ab omnibus bonis terrenis avellant, et paratissimum habeant omnibus exspoliari. [2] Oportet, ait S. Bonaventura [3], "ut sint nudi, non solum corde, sed adeo nudi... ut... in nuditatis termino statui viæ possibili Christi vestigia imitentur."

b) De frugalitate recipientium. — Omnes religiosi "suo modo nudi nudam crucem sequuntur [4]," vivunt enim sine proprio personali, sed possessiones habent monasteriis proprias, et bona ad Ordinem venientium monasterio adjungere possunt. "Beatus igitur Franciscus, ait S. Bonaventura, [5] videns pericula et sacrilegia affluentiæ terrenæ, quam multi possident in communi, elegit regulam ipsis Apostolis ad

(1) Expos. Regul. cap. 2 n. 6.—(2) P. ALBERTUS A BULSANO, *Expos. Reg.* cap. 2, art. 2. § 22. n. 1.— (3) Exposit. Reg. cap. 2, n. 6.— (4) S. BONAVENTURA. *Expos. Reg.* l. c.— (5) Exposit Reg. cap. 2. n. 9.

prædicandum missis a Domino constitutam, injungens Fratribus, ne sollicitudinem habeant de rebus venientium ad Ordinem, ne sic vel Ordinis maculetur puritas, vel inquietudo aliqua generetur."

Cum in loco S. Mariæ de Angelis tanta esset inopia ut non posset hospitibus supervenientibus secundum necessitatis exigentiam provideri, adiit Franciscum Vicarius Petrus a Cataneo, allegans penuriam Fratrum et petens ut intrantium novitiorum res aliquas reservare liceret, ad quas expendendas recurrere posset tempore opportuno. Ad quem S. Pater superni consilii non ignarus: "Absit a nobis, Frater carissime, ut pro quovis homine impie agamus in Regulam. Malo te altare Virginis gloriosæ nudare, cum necessitas id requirit, quam contra paupertatis votum et observantiam Evangelii aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit Virgo beata, Sancti Evangelii perfecte servato consilio, suum altare detegi, quam, altari vestito, Filii sui promissum consilium prætermitti." [1]

Agitur hic de pecuniæ acceptatione, Frater. Fert enim Prima Regula: "Caveant autem Fratres et Ministri Fratrum, quod de negotiis suis (i. e. novitiorum) nullo modo se intromittant neque accipiant aliquam pecuniam, neque per se, neque per interpositam personam; si tamen indigerent, alia necessaria corporis præter pecuniam recipere possunt Fratres causâ necessitatis, sicut alii pauperes." [2]

c) De relevatione pauperum discretâ.— Seraphicus autem Pater voluit, ut solum per distributionem bonorum pauperibus largitam, janua ingressûs in Ordinem suum pateat, ac ideo in suo Testamento dicit "illi qui veniebant ad recipiendam vitam istam omnia, quæ habere poterant, dabant pauperibus." De ipso quoque legitur [3] quod quemdam, qui bona sua propinquis reliquerat, rejecerit dicens: "Vade!

(1) S. BONAVENT. *Leg. Maj.* cap. VII, n. 4. Op. t. VIII. p. 524.— (2) 1 Reg. cap. II, Opusc. p. 26.— (3) S. BONAV, *Legenda S. P.* cap. 7. n. 3. Op. t. VIII. 523. Chron. P. 1. L. 1. c. 8.

nondum existi de cognatione tuâ et de domo patris tui: non est dignus jungi pauperibus Christi, qui pauperes defraudavit: incepisti a carne, ruinosum fundamentum spirituali fabricæ posuisti: vade viam tuam."

Cum tamen hæc bonorum distributio decreta sit, oporteat " ne res venientium inutiliter dispensentur, remedium conveniens adhibetur, ait Seraphicus Doctor [1], cum subdit: Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur." Addit tamen S. Pater, ait S. Bonaventura [2]: "*Quod si facere non potuerint*, propter loci distantiam, vel propter litium implicationem, *sufficit eis bona voluntas*, quia licite ceditur et omnia contemnuntur."

Nihilominus, Frater, distributio bonorum pauperibus largienda, *non præceptum, sed consilium est;* et *perfectionem*, non vero *justitiæ jura* directe vel indirecte accepta [3] respicit.

1090.— 2. ***De renuntiatione bonorum juxta Ecclesiæ legislationem hodie vigentem.***

Ad libertatem novitiorum salvam et integram salvandam, ne scilicet bonis suis privati et egestate pressi professionem emittere cogantur inviti, S. Mater Ecclesia statuit:

1° "In novitiatûs decursu, si suis beneficiis vel bonis quovis modo novitius renuntiaverit eademve obligaverit, renuntiatio vel obligatio non solum illicita, sed ipso jure irrita est [4]."

2° "Ante professionem votorum simplicium sive temporariorum sive perpetuorum novitius debet, ad totum tempus quo simplicibus votis adstringetur, bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit et, nisi constitutiones aliud ferant, de eorumdem usu et usufructu libere disponere [5]."

3° "Ea cessio ac dispositio, si prætermissa fuerit ob de-

(1) Expos. cap. 2. n. 9.— (2) L. c. n. 9.— (3) P. Albertus a Bulsano, p. 57. not. 1.— (4) Codex Juris can. 568.— (5) Ibid. can. 569, § 1.

fectum bonorum et hæc postea supervenerint, aut si facta fuerit et postea alia bona quovis titulo obvenerint, fiat aut iteretur secundum normas § 1 statutas, non obstante simplici professione emissâ [1]."

4° "Novitius in congregatione religiosâ ante professionem votorum temporariorum testamentum de bonis præsentibus vel forte obventuris libere condat [2]."

5° "Quilibet professus a votis simplicibus, sive perpetuis sive temporariis, nisi aliud in constitutionibus cautum sit, conservat proprietatem bonorum suorum et capacitatem alia bona acquirendi, salvis quæ in canone 569 præscripta sunt [3]."

6° "Quidquid autem industriâ suâ vel intuitu religionis acquirit, religioni acquirit [4]."

7° "Cessionem vel dispositionem de quâ in can 569, § 2, professus mutare potest non quidem proprio arbitrio, nisi constitutiones id sinant, sed de supremi Moderatoris licentiâ... dummodo mutatio, saltem de notabili bonorum parte non fiat in favorem religionis; per discessum autem a religione ejusmodi cessio ac dispositio habere vim desinit [5]."

8° "Professus a votis simplicibus antea nequit valide, sed intra sexaginta dies ante professionem solemnem, salvis peculiaribus indultis a Sanctâ Sede concessis, debet omnibus bonis quæ actu habet, cui maluerit, sub conditione secuturæ professionis, renuntiare. Secutâ professione, ea omnia statim fiant, quæ necessaria sunt, ut renuntiatio etiam jure civili effectum consequatur [6]."

9° Post solemnem professionem, salvis pariter peculiaribus Apostolicæ Sedis indultis, omnia bona quæ quovis modo obveniunt regulari:

1) In Ordine capaci possidendi, cedunt Ordini vel provinciæ vel domui secundum constitutiones:

---

(1) Ibid. can.569, § 2.— (2) Ibid. can. 569, § 3.— (3) Ibid. can. 580, § 1.— (4) Ibid. § 2.— (5) Ib. l. c. § 3.—(6) Ibid. can. 581, §§ 1, 2.

2) In Ordine incapaci, acquirantur Sanctæ Sedi in proprietatem [1]."

10° "Professis a votis simplicibus religiosis non licet;

1) Per actum inter vivos dominium bonorum suorum titulo gratioso abdicare;

2) Testamentum conditum ad normam can. 569, § 3, mutare sine licentiâ Sanctæ Sedis, vel, si res urgeat nec tempus suppetat ad eam recurrendi, sine licentiâ Superioris majoris aut, si nec ille adiri possit, localis [2]."

11° "Post annum ab emissâ quâlibet professione religiosâ, vacant beneficia parœcialia; post triennium cetera [3]."

Unde monitio de bonis temporalibus pauperibus largienda *ante ingressum* religionis jam a Ministris postulantibus non est facienda, sed absolute præscribitur renuntiatio bonorum juxta canonicas præscriptiones facienda.

1091. — V. **De positione juridicâ novitiorum.** — In Ordinem religiosum ingressus novitius persona fit ecclesiastica, "ita tamen ut potius *commoda* sentiat istius statûs quam onera [4]." Inquirendum igitur est 1) quænam sint novitiorum onera seu obligationes; 2) quænam vero eorum commoda seu privilegia.

1092. — 1. ***De novitiorum obligationibus.***

a) Novitii cum sint personæ ecclesiasticæ, eo ipso subjiciuntur jurisdictioni Superiorum Ordinis cujus habitum assumpserunt. Ad determinandum quam jurisdictionem in Ordine Franciscano habeat prælatus supra novitios, distinguendum venit inter superiores generales, provinciales et locales.

Superiores generales et provinciales eamdem jurisdictionem habent in novitios ac in professos. Jurisdictionem ergo quasi episcopalem in eos exercent in foro tam interno quam

(1) Ibid. can. 582.— (2) Ibid. can. 583.— (3) Ibid. can. 584.— (4) P. Vermeersch. o. c. t. 1, n. 192.

externo, si tamen novitii velint in religione permanere [1]. Superior localis autem apud nos unice præest novitiis in choro, in ecclesiâ officiorum divinorum tempore, in processionibus, in refectorio, ceterisque communitatis actibus [2]. Sed ejus jurisdictio limitata est a Summo Pontifice [3], et a superioribus majoribus [4]. Siquidem Magistri habeant "plenam et absolutam potestatem circa novitiatûs regimen et novitiorum institutionem [5]."

b) Etsi per se ad Regulæ observantiam in conscientiâ non obligantur, ex decentiâ tamen et honestate ad id tenentur. "Regula enim generalis est, ut qui similem cum aliis vitam suscipit, similem sentiat in legibus disciplinam. Accedit, quia nisi et ipsi observent regulas Ordinis, non satis probarent Religionem, nec ipsos Religio; et ex transgressionibus repetitis oriretur scandalum, confusio et perturbatio magna in Ordine [6]."

"Esto... in omnibus ad nutum *obediens* propter Deum, ait Bernardus a Bessa in *Epistolâ ad quemdam novitium* [7], nec te, quamdiu in Ordine es, ab Ordinis obedientiâ putes exemptum. Alioquin, cui, obsecro, nunc subes nisi Ordini? Quis tuæ nunc animæ curam gerit?... (Novitius) Liber quidem est, ut infra probationis annum, si vel ad sæculum, vel ad laxiorem statum voluerit apostatare, discedat, sed quod existens in Ordine sit inobediens vel rebellis, nequaquam eum liberum dixerim."

2. ***De novitiorum privilegiis.*** — Duplex principium generale est, primum quod in favorabilibus veniunt nomine

(1) Codex Juris can. 561, cfr. P. Piatus o. c. P. 2, cap. 2, art, 4, q. 126-—(2) Constit. O. M. C. n. 16.— (3) Clemens VIII, *Cum ad Regularem.* n. 15, Codex Juris can. 561.—(4) Cfr. Constit. O. M. C. n. 16, et Regolamento: alle votazioni pe'novitii ed alle attribuzione de loro P. P. Maestri etc.— (5) Const. n. 16, Clemens VIII, *Cum ad Regularem.* n. 15, Codex Juris can. 561.— (6) P. PIATUS, o. c. l. c. 2[a].— (7) Inter Opera S. Bonav. Ed. ad Claras Aquas t. 8. p. 664, n. 7.

religiosorum, secundum vero quod in odiosis Regulares attingentibus uti sæculares habentur.

a) In favorabilibus nomine veniunt religiosorum. Unde novitius franciscanus omnibus gaudet privilegiis Ordinis minoritici. Ideo *a)* privilegio canonis et fori fruitur [1], *b)* indulgentiarum aliorumque privilegiorum particeps efficitur, [2] exceptis iis tantum quæ in Bullâ concessionis ad professos expresse restringuuntur, *c)* eximitur a jurisdictione episcopali, etc.

b) In odiosis, clericos vel regulares attingentibus, habentur veluti laici vel sæculares. Unde 1) non incurrit casus in Ordine reservatos nisi expresse isti ad novitios extenduntur, neque alias pœnas ab Ecclesiâ pro religiosis statutas [3].

III. — *De causis defectionis novitiorum.*

1093. — Fine et temperatione novitiatûs declaratis jam clare apparet, Frater, novitiatum magni esse momenti. Doctrina ab omnibus vitæ spiritualis Magistris tradita, unanimi consensu jure comprobat: novitiatum esse quasi totius vitæ regularis compendium [4]. Rarum non est, videre novitium Dei amore ferventem omnino decidentem a suo priore fervore. Ast, novitium tepidum, nescio, ait P. Godefridus [5], "utrum ex centum unus enumerari possit, qui, professione emissâ, effectus fuerit religiosus exemplaris. Novitiatus ergo malo modo peractus, lege ordinariâ calamitas est, quæ nullâ curâ sanari possit."

Priusquam de causis defectionis novitiorum tractamus, paucis verbis tibi dicemus. Frater, quid requiratur ad novitiatum rite peragendum.

Ut novitiatus rite peragatur oportet

---

(1) Cfr. P. Piatus l. c. q. 129, P. 2, cap. 2, art. 4. Unde qui novitium percutit (privilegium canonis) vel cogit judices laicos ad trahendum novitium ad suum tribunal (privilegium fori) excommunicationem incurrit. — (2) Codex Juris can. 567, § 1. — (3) P. Piatus l. c. — (4) Ordin. et decis. Cap. Gen. LXV n. 10. — (5) *Novitius Capuccinus*, p. 199.

1094. — 1) *Ut novitius cum habitu religioso etiam spiritum religiosum habeat.*

Bernardus a Bessa in *Epistolâ ad quemdam novitium instabilem* [1] hæc memorabilia habet verba: "Non multum habitus religiosus prodest, si adhuc animus sæcularis. Non vestium, sed *spirituum ponderator est Dominus* [2]. At si utrumque simul, religiosa scilicet vestis et animus, melius erit; pluris Deo sunt plura quam unum. *Concupiscit rex decorem* [3] cordis; sed vestis sancta et eum cujus amore suscipitur et defertur, honorat, et proximum simul ædificat, ipsum denique deferentem ad virtutem inducit et quodam interdum congruitate compellit. Quando, inquam, vestis et animus in bono conveniunt, tunc Deo in nobis maxime complacet, tunc ei *deliciæ sunt esse cum filiis hominum* [4]. Intus Deum mens devota oblectat, extra vestis religiosa honorat et prædicat. Ubi autem animus malus est, vestis sancta plus gravat quam juvat. Ergo, carissime, ex quo jam te Dominus sancto habitu decoravit, age, ut ei animus et vita concordet."

Aliis verbis, sicut habitus omnibus exterius demonstrat te esse S. Francisci alumnum, ita spiritus S. Francisci interius te inflammet ad opera tuæ vocationi consentanea peragenda omnino necesse est.

1095. — 2) *In novitiatu vivendum est juxta normam a Magistro traditam.*

Hic quærere possis, Frater, quid ad hunc scopum sit necessarium, quomodo nempe in novitiatu vivendum sit tibi. "Utinam quæras! exclamat Bernardus a Bessa [5], nempe quærens invenit. Qui vero stare *super vias* et interrogare de *semitis antiquis* non curat [6], nec se dirigentibus acquiescit, profecto errandum est sibi. Porro negligenter erranti imputandus est error. *Est via, quæ videtur homini*

(1) Opera S. Bonav. Edit. ad Claras Aquas, t. 2 col. 663 seq. n. 1.— (2) PROV. XVI, 2. — (3) PS. XLIV, 12. — (4) PROV. VIII, 31. — (5) *Epistola* cit. n. 2. — (6) JEREM. VI, 16.

justa, et novissima ejus deducunt ad mortem [1]." Si igitur scire desideras quid agendum sit tibi, ad ducem spiritualem, ad Magistrum recurras omnino necesse est. "Dicas forsitan, inquit præclarissimus auctor citatus [2]: Nota mihi via est, et ductore non indigeo. Nequaquam hoc ego tibi concesserim; stultæ præsumptionis est ejus quam nondum perambulaveris viæ tibi scientiam arrogare. Stulte omnino sibi vindicat inexpertus quod vix experti præsumunt."

1096. — 3) ***Jam in novitiatu domus perfectionis exstruenda est.***

Jam antea vidimus, Frater, quid Magister, toto novitiatûs tempore te docturus sit. Te instruet nempe ad ædificandam civitatem cœlestem Jerusalem, id est, perfectionem vitæ christianæ, quæ in caritate Dei et proximi consistit et acquiritur per exercitium virtutum. Unde te docebit *reformationem deformatorum per vitiorum expugnationem* [3] *et conformationem novi hominis ad Christum per instrumenta spiritualia* [4]. Et merito quidem, carissime Frater, "qui Jerusalem muros ædificant, ait Bernardus a Bessa [5], æmulos habent, qui eos impedire conantur, sed, ut legimus [6], *alterâ manu ædificant, alterâ tenent gladium ad pugnandum. Ædificat* servus Dei virtutum operibus insistendo, *pugnat* vero vitiis et tentationibus resistendo. Gravat interdum pugna, sed sine pugnâ victoria non habetur."

4) ***Studium novitiorum igitur est ut toto tempore novitiatûs insistant in extirpatione vitiorum et in acquisitione virtutum.***

"Si tuum in his studium est, Religiosus es; sin alias, scias, te necdum, secundum Apostolum [7], *veterem hominem deposuisse*, sed adhuc in vetustate perduras, qui tamen in Religionis ingressu *novum hominem, qui secundum Deum*

(1) Prov. xiv, 12.— (2) Epist. n. 2. — (3) Cfr. n. 26 seq. — (4) Cfr. n. 120 seq. — (5) L. c. n. 15. — (6) II. Esdr. iv, 17.— (7) Ephes. iv, 22 et deinde 24.

creatus est, induere debuisti. Non dico, novitium mox posse in virtutibus esse perfectum, sed debere esse in earum exercitio studiosum [1]."

His dictis, jam causas inquirere possumus cur novitii, licet a Deo vocati, a recto tramite deficiant.

1097. — Causæ defectionis novitiorum. — A divinæ studio servitutis novitii deficiunt duplicem ob causam : nempe ob superbiam et ob teporem. Unde si Dei gratiam promereri et viam vocationis tuæ dignam percurrere desideras, e medio tollendum est vitium superbiæ et teporis.

§ I. — *De superbiâ superandâ.*

1098. — Superbus, ait Bernardus a Bessa [2], ad omne bonum inutilis et ineptus. non est susceptibilis disciplinæ, gratiæ seu virtutis, *quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* [3]. In tantum est Deo superbia odiosa, ut, ubi deprehenderit eam esse, ibi nec ipse habitet, nec sua dignetur dona infundere. Hæc est superbia, quæ ita omnium spiritualium sensuum usu privat, ut hâc peste laborans, Religionis sanctæ pulchritudinem et virtutem audiens, non attendat ; videns, non reputet ; odorans, non sentiat, affectu non gustet, nec ex operationis tactu discernat, recteque illi conveniat quod de simulacris dicitur [4] : *Oculos habent et non videbunt, aures habent et non audient, nares habent et non odorabunt.*"

Ast duæ virtutes, quæ merito ut ornamentum Ordinis Seraphici habentur, potissimum superbiæ opponuntur, humilitas nempe et sancta simplicitas.

1099. — 1. De humilitate. — De hâc virtute alio loco tractatur : Vide *præcipuum studium viæ illuminativæ* [5]. Materia hæc, carissime Frater, iterum atque iterum serio est medi-

(1) BERNARDUS a BESSA, *Epist.* cit. n. 3.— (2) *Epist.* n. 4.— (3) I PETR. v, 5 ; JAC. IV, 6.— (4) Ps. CXIII, 13 seq. — (5) Cfr. n. 856.

tanda, et media ad eam acquirendam sedulo observanda. Nam, ut optime notat P. Albertus a Bulsano [1]: "Frater Minor humilitate destitutus monstrum est, tum nomini, tum habitui, tum statui suo contradicens. Et quomodo Religiosus vota sua paupertatis, obedientiæ, et castitatis observabit, cum pauper esse et videri erubescat, arrogantem mentem suam aliis subjicere recuset, et in pœnam superbiæ, ut Doctores dicunt, a gratiâ derelictus facillime in luxuriæ crimina ruat?"

1100. — 2. **De sanctâ simplicitate.** — Sancta simplicitas aliud medium est, Frater, quo vitium superbiæ extirpare vales. Videbimus ergo *a)* naturam simplicitatis *b)* quomodo simplicitas ornamentum sit Ordinis Seraphici et *c)* quomodo practice sit exercenda.

1101. — ***a) De naturâ simplicitatis.*** — Simplicitas, juxta doctrinam S. Thomæ [2], est virtus, quâ animus non tendit in diversa, sed idem intendit interius et exterius, et quod exterius exequitur opere, consentaneum est intentioni quam habet in corde. Unde vides simplicitatem et veritatem eamdem esse virtutem et solummodo ratione differre.

Hanc simplicitatem magnopere extollit Seraphicus Pater eamque vocat "gratiæ filiam, sapientiæ germanam, matrem justitiæ [3]"; attamen, ut Celano apprime notat [4]: "Non... omnis ab eo probabatur simplicitas, sed ea solum quæ Deo suo contenta, cetera vilipendit. Hæc est, quæ sese examinans condemnat suo judicio neminem, quæ meliori debitum imperium reddens, imperium appetit nullum. Hæc est, quæ græcas glorias non optimas arbitrans, plus eligit facere quam discere, vel docere. Hæc est, quæ in omnibus divinis legibus verbosas ambages, ornatus et faleras, ostentationes et curiositates perituris relinquens, quærit non corticem

(1) Exposit. Reg. cap. x, § 183, n. 1.— (2) 2. 2. q. 109, a. 2, ad 4, et q. 111, a. 3, ad 2.— (3) CELANO; Leg. 2, c. 142, p. 310.— (4) CELANO, o. c. l. c.

sed medullam, non testam sed nucleum, non multa sed multum, summum et stabile bonum."

1102. — *b) Simplicitas ornamentum Ordinis Seraphici.* — "Sanctam simplicitatem..., quodam attentiori studio prætendebat Sanctus (Franciscus) in se, ac diligebat in aliis [1]... Hanc in fratribus litteratis et laicis requirebat Pater Sanctissimus, ait B. Thomas a Celano [2], non eam contrariam sapientiæ credens, sed vere germanam... Unde in laudibus quas de virtutibus fecit, sic ait: Ave, regina sapientia. Dominus te salvet cum tuâ sorore purâ sanctâ simplicitate." Per Fratrum Minorum simplicitatem, dicebat Seraphicus Franciscus, "relucet beatæ hujus familiæ pulchritudo," et ut Celano [3] scribit, sequentia verba voluit in Regulâ ponere, sed bullatio facta præclusit, nempe: "Apud Deum non est acceptatio personarum, et generalis minister Religionis, Spiritus Sanctus, æque super pauperem et simplicem requiescit."

Doctrinâ et exemplo B. Patris moti, veri Franciscani in omni simplicitate Deum quærunt, et ut primi Francisci discipuli duplicitatem animi penitus ignorant [4].

1103. — *c) Simplicitatis praxis.* — "Jam vero si quis quærat quibus indiciis dignoscatur novitius ita quærere Deum, respondet Adam Abbas Persenniæ in *Epistolâ ad Osmundum Monachum* [5]: Certe si ad illa tria ipsum Magister paratum invenerit; si in opere Dei ipsum fervere cognoverit; si bono et læto animo bonum obedientiæ superioribus, coæqualibus, inferioribus exhibentem; si ad perferenda opprobria patientem, potest intelligere quod vere Deum quærit; si tamen felici perseverantiâ felix initium claudere non omittit [6]."

---

(1) CELANO, o. c. p. 310. — (2) O. c. p. 311. — (3) L. c. c. 145, p. 314. — (4) Cfr. Celano o. c. l. c. Leg. I. p. 48. — (5) T. I Miscell. Baluz. — (6) MARTÈNE. *Comment. Reg. S. Bened.* P. L. t. 66, Col. 813, 814.

Sancta simplicitas igitur in omnibus actionibus tuis appareat, Frater, 1) in observatione scilicet Regularum novitiatûs; 2) in subjectione erga Superiores; 3) in conversatione cum fratribus.

1104.—1) *In observatione Regularum novitiatûs.*—Sciendum enim est, Frater, in observatione Regularum quæ novitiis imponuntur, affectationem externam et nimium in virtutum actibus rigorem, parum prodesse, et non semper juvenem simplicem sed aliquando superbum denotare. Quid! "Nimis rigor et multiplicitas ceremoniarum externarum absque vere spiritu religioso, ad relaxationem sensim viam parant." [1] Etenim "per vitam religiosam natura perficitur, non autem destruitur. Unde quidquid affectationem sapit, adversatur huic naturæ perfectioni et potius offuscat et mentitum facit exteriorem hominem. Abstinendum ergo est a nimiâ plasmatione et configuratione et quasi statuariâ dispositione novitiorum. Collum innaturaliter elongatum, caput mimice inclinatum, oculi violenter dimissi, reverentiæ gestus et voces potius momentaneum servilismum quam habitualem humilitatem et reverentiam indicantes, et similia, sunt perniciosissima pestis quâ juvenes duplicitatem acquirunt et senes hypocrisim colunt. Viri sancti et devoti modestiam magnam possidebant, sed neque in oculis, neque in gestibus, neque in voce, neque in formulis modum rectæ naturæ contrarium admittebant [2]", sed in omnibus veram sanctamque simplicitatem colebant.

Immo bonus novitius censendus non est ille qui nullam observantiam prætermittit, qui officii sui observantissimus est; procul dubio hæc omnia, licet requirantur, non tamen sufficiunt; simul enim cum observantiâ adesse potest superbia. Oportet ipsæ observantiæ regantur motivis supernaturalibus: denique oportet novitius Deum unice quærat.

---

(1) Cap. Gen. 1886 n. 10.— (2) Comment. circa ordinationes Cap. Gen. 1886. Apud Anal. O. M. C. T. III, p. 43 et seq.

1105. — 2) *In subjectione erga superiores.* — Novitius sanctam simplicitatem colens firmiter confidit se ipsi Deo, et statim aperit Superioribus, qui locum Dei tenent, affectus suos et cogitationes, et candide, sine ullo dolo, sine simulatione et fuco omnes obligationes discipuli erga suum patrem spiritualem adimplet. Perlege hic Art. *De directore spirituali.* [1]

Hanc gratiam a Domino postula, carissime Frater, Ei cum S. Joanne Berchmans dicens: "Da mihi, Domine, da mihi ut erga Superiores dissimulationis nescius et limpidus sim sicuti aqua in vase crystallino." Hâc simplicitate potissimum utatur necesse est, quando Magister ab eo rationem quærit de opprobriis ei allatis. Nihil enim adeo utile est novitio quam hæ probationes, modo tamen rite et simpliciter sustineantur. Unde S. Basilius [2]: "Cæterum communis cujusque probandi modus est, utrum scilicet citra pudorem paratus sit ad omnem humilitatem, sic ut artes suscipiat vel vilissimas, si illarum opus utile esse ratio comprobarit... Maxime autem ei, qui ab illustriore quodam vitæ genere juxta Domini nostri Jesu Christi exemplum ad humilitatem festinat, aliqua quæ probrosa admodum apud externos esse videantur, præscribenda sunt; observandumque, num sine ullâ dubitatione seipsum ceu operarium pudoris expertem Deo exhibeat."

1106. — 3) *In conversatione cum fratribus.* — Novitius sanctâ simplicitate ornatus omnia caritatis officia rite adimplet: Confratribus ex corde optat et procurat omne bonum; jucundam, affabilem et gratam cum ipsis instituit conversationem et sedulo cavet omnia quæ amorem fraternum impedire possint, qualia sunt contemptus, suspiciones, temeraria judicia, etc. Perfectam cum ipsis concordiam tenet, eorumque defectus patienter suffert, licet cum nullo, quantæcumque sit virtutis et sanctitatis, nimiam familiaritatem

(1) Cfr. n, 160 seq.— (2) Reg. fus. cap. 10. P. G. t. 31, col. 946, 947.

vel amicitiam habeat. Verbo, sancta simplicitas in confratribus non carnem aspicit nec sanguinem, sed imaginem Dei, ab eo impense amatam atque dilectam. [1]

§ II.— *De tepore.*

1107.— Alia causa cur novitii a vocatione deficiant, est tepor. Hoc perpulchre a S. Bernardo [2] describitur: "Videtis istos novitios? inquit. Nuper venerunt, nuper conversi sunt. Non possumus de ipsis dicere quia vinea nostra floruit: floret enim. Interim, quod in eis apparere videtis, flos est: fructuum tempus nondum advenit. Flos novella conversatio est, flos formula recens vitæ emendatioris est. Induerunt sibi faciem disciplinatam, et bonam totius corporis compositionem. Placent, fateor, quæ in facie sunt: negligentior utique is qui foris apparet corporum cultus est vestium, sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior. Verum quia hæc noviter cœpere, ipsâ sui novitate flores censenda sunt, et spes fructuum, magis quam fructus."

Sed, addit S. Doctor [3], "aquilo mihi suspectus est, et frigora matutina, quæ intempestivos flores solent perdere, fructus præripere."

Hoc frigus nihil aliud est quam incuria in exercitiis spiritualibus, languor animi, pigritia spiritualis. Considera nunc, Frater, funestissimos hujus tepiditatis effectus.

Effectus teporis.— Hæc infirmitas perturbat judicii lumen, libertatem aufert spiritûs. "Ut in corpore solet evenire febricitantibus, subit quidam animi rigor, dicit S. Bernardus [4], et vigor lentescit, languor fingitur virium, horror austeritatis intenditur, timor sollicitat paupertatis, contrahitur animus, subtrahitur gratia, protrahitur longitudo

(1) Cfr. P. Godefridus o. c. p. 170 seq.—(2) *In Cant.* Serm. 63. P. L. t. 183, col. 1082 et seq.— (3) L. c. col. 1083.— (4) L. c.

vitæ, sopitur ratio, spiritus extinguitur, defervescit novitius fervor, ingravescit tepor fastidiosus, refrigescit fraterna caritas, blanditur voluptas, fallit securitas, revocat consuetudo. Quid plura? Dissimulatur lex, abdicatur jus, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremo impudentiæ manus: præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominiâ et confusione, saltus de excelso in abyssum, de pavimento in sterquilinium, de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum."

Medium ad teporem superandum. — Novitius indiget igitur fortitudine quâ labores, imo si opus fuerit, mortis pericula aliasque difficultates etiam acerbissimas constanter suscipere et perficere valeat. Nam etsi jugum vitæ Franciscanæ suave est ejusque onus leve, tamen scias oportet, Frater, te aliquid molestiæ conversionis initio experturum esse. Quare operæ pretium existimamus 1) difficultates quas novitius experiri solet ante oculos ponere 2) tibique aliqua præbere media ad illas fortiter superandas.

1108. — 1° ***Difficultates quas novitii ordinarie experiuntur*** considerari possunt ex parte religionis, aut ex parte diaboli, aut ex parte sæculi.

1109. — *a)* EX PARTE RELIGIONIS. — Assuetus sæculi deliciis novitius terretur a vitæ Franciscanæ austeritate, nam, dicit S. Bernardus [1]: "Cum aliqui simplices ad conversionem veniunt, severitatem Regulæ expavescunt. Si fiat eis sermo de mundi contemptu, de virtutum vitiorumque conflictu: si anxietas vigilandi, assiduitas orandi, parcimonia jejunandi ab ipsis requiritur, dicunt conquerendo inter se: quid est hoc? quis tot et tanta implere sufficiat?" Violentia igitur tibi necessaria est quia, ut ait S. Augustinus seu quivis auctor [2]: "non sine violentiâ fieri potest ut de

(1) Serm. 95 de diversis. P. L. t. 183, col. 719. — (2) Serm. 196 n. 6. in append. P. L. t. 39, col. 2112.

abundantiâ et deliciis ad famem et sitim, ad abstinentiam et crucem transeat (homo); ut somno prius atque otio amicam carnem contritione vigiliisque conficiat. Non, inquam, sine violentiâ fieri potest ut unusquisque iracundiam patientiâ, superbiam humilitate commutet, amore paupertatis, divitiarum ac sufficientiæ affluentiam superet; vinolentiam sobrietate, luxuriam castitate condemnet; et homo subito in virum transformetur perfectum, et quodam modo alter reddatur ex altero."

1110. — *b)* Ex PARTE DIABOLI longe fortior atque periculosior sustinenda est pugna. "Etenim latrones, inquit S. Chrysostomus [1], non ubi fœnum et paleæ et calamus, sed ubi aurum et argentum, ibi fodiunt et assidue vigilant: sic et diabolus iis maxime instat, qui spiritualia attingunt negotia; ibi multæ insidiæ, ubi virtus." Etsi omnes religiosos impugnat diabolus, multo tamen magis furit in novitios, ut eos ad profanam sæculi vitam retrahat, aut in religione ad pigritiam adigat. Sic, referente S. Athanasio [2], S. Antonium tentabat: "Si quo modo posset ab arrepto eum instituto detrahere, immittebat ei memoriam possessionum, sororis defensionem, generis nobilitatem, amorem rerum, fluxam sæculi gloriam, escæ variam delectationem, et reliqua vitæ remissioris blandimenta; postremo virtutis arduum finem, et maximum perveniendi laborem, nec non et corporis fragilitatem suggerebat et ætatis spatia prolixa, etc."

1111. — *c)* Ex PARTE SÆCULI persæpe maximæ nascuntur difficultates. Amici enim, cognati parentesque infirmum adhuc in bono proposito tironem aggrediuntur, dicentes: "Cui nos servituros relinquis?... Morituros exspecta paulisper, et sepeli... In te omnis domus inclinata recumbit [3]."

"Licet parvulus e collo pendeat nepos, licet sparso crine

(1) Homil. 1 ad popul. Antioch. n. 11. P. G. t. 49. col. 31. — (2) *Vita S. Antonii* n. 5. P. G. t. 26. col. 847. (Versio Evagrii) — (3) S. HIERONYM. ad Heliodorum. Epist. 14. n. 3. P. L. t. 22. col. 349.

et scissis vestibus, ubera quibus te nutrierat, mater ostendat, licet in limine pater jaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est, in hâc re esse crudelem." [1]

1112. — 2° ***De mediis ad teporem superandum.*** — Præter considerationem excellentiæ statûs religiosi et præsertim Ordinis Minorum, duo ad perseverantiam adjuvabunt media, *a)* Dei beneplacitum scilicet et *b)* magnitudo præmiorum.

1113. — *a)* DEI BENEPLACITUM. — Jam vero, Dei beneplacitum est ut per vitam mixtam ei servias in Ordine Seraphico. "Vocavit te ad hoc collegium Dominus, ubi, juvante ipso, sancto potes et apostolico prædicationis officio sublimari et in conversione hominum et salute, Salvatoris ipsius fieri particeps et collega. *Qui* enim *converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ salvabit animam suam a morte* [2]. Quem sanæ mentis non moveat tanti officii dignitas, meritum et corona? An non dignitas, præcipuum Christi officium exercere? Quid vero majoris est meriti, quam emptas Christi sanguine animas a diaboli fraudibus revocare? Unde et prædicator fidelis non solum communi Sanctorum gloriâ, sed et honore *aureolæ* coronandus erit. Vide nunc, quanto tibi cavendum sit studio, ne propter desidiam et teporem a tantæ dignitatis statu velut indignus et reprobus evomaris [3]?"

Hæc omnia serio meditare, Frater, nam "qui gratiam non ponderat beneficii, ab amore tepet beneficii. Liberat Deus a mundi periculis et tumultu, sed *ingratus sensu derelinquit liberantem se* [4]."

"Vocat Dominus ad sui familiare obsequium, sed ingratus et stultus vocantis misericordiam non attendit. Absit a te, Frater, tam exsecrabile vitium, tuæ potius vocationis gratiam ceteraque Dei beneficia meditare, ut *in meditatione tuâ*

(1) L. c. n. 2. col. 348. — (2) JAC. v, 20 ubi pro *animam suam* Vulgata *animam ejus.*— (3) BERNARDUS a BESSA, Epistola n. 9. Op. S. Bonav. t. VIII. p. 664.— (4) ECCLES. XXIX, 22. Bern. a Bessa. l. c. n. 10.

ignis exardescat [1] amoris. Torporis acediæque ignaviam excute, carnalitates abscinde et paulatim te ipsum virtutibus assuesce. Pro certo noveris, quod *cum* ex animo *via fueris* perfectionis *ingressus, non arctabuntur gressus tui, et currens offendiculum non habebis.*

Si difficile aliquid tibi jam incipienti videtur, noli pusillanimis fieri; profecto, ait S. Benedictus [2], "processu conversationis et fidei, *dilatato corde* inenarrabili dilectionis dulcedine, *curritur via mandatorum Dei* [3]."

1114. — *b)* MAGNITUDO PRÆMIORUM, quorum spem ostendendo filiis suis dulcissimus Pater Franciscus suadebat ut fortiter arctam Seraphicæ Regulæ perfectionem sectarentur. Audi ipsum beatum Patrem: "O Dilectissimi Fratres, et in æternum benedicti filii, audite me, audite vocem Patris vestri:

Magna promisimus, majora promissa sunt nobis. Servemus hæc, suspiremus ad illa.

Voluptas brevis, pœna perpetua. Modica passio, gloria infinita. Multorum vocatio, paucorum electio; omnium erit retributio. Amen." [4]

Licet hæc verba a Seraphico Patre ad Fratres jam professos sint directa, tibi magnum semper adjumentum erunt, Frater, quo fideliter Deo vocanti obedire valeas et omnia sustinere adversa.

Cum Bernardo a Bessa, tibi igitur dico [5]: "Age ergo strenue, age constanter. Certaminis campum ingressus es, jam adversarium provocasti; de cetero tibi fortiter agendum est. Non evades deinceps alterum e duobus: aut maximam, si fugeris, ignominiam; aut maximam, si viriliter egeris, gloriam. Qui semel fugisti, quâ fronte iterum fugias? An fugiendo putas effugere persequentem?"

---

(1) Ps. XXXVIII, 4. Subinde allegatur PROV. IV, 12. — (2) In fine prologi Regul. Respicitur Ps. CXVIII, 32. P. L. t. 66. col. 218. — (3) BERNARDUS a BESSA, *Epistola* nº 10. — (4) *Exhortatio Seraphici Patriarchæ.* — Seraphic. Legislationis textus originalis, p. 270. — (5) *Epistola* n. 16. l. c. p. 665,

"Noli, Frater, noli occasionibus frivolis niti. *Occasiones quærit qui vult recedere ab amico* [1]. Dic verius cum Apostolo [2]: *Omnia possum in eo qui me confortat*... Fac quod potes, ipse perficiet quod non potes [3]."

CAPUT III.

DE PROFESSIONE FRANCISCANA.

1115. — Probatione per annum rite peractâ, Seraphica Regula [4] ordinat ut novitii "recipiantur ad obedientiam promittentes vitam istam semper et Regulam observare", et juxta Constitutiones editas et confirmatas in Capitulo Generali apud Narbonam a. 1260, professionem faciant, utendo hâc formulâ: "Ego Frater N. voveo et promitto Deo et Beatæ Mariæ Virgini et beato Francisco et omnibus Sanctis et tibi, Pater, toto tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum per Dominum Papam Honorium confirmatam, vivendo in obedientiâ, sine proprio et in castitate [5]."

Inquiremus igitur 1) de naturâ professionis religiosæ in genere, 2) de naturâ professionis Franciscanæ in specie.

ART. I. — De naturâ professionis religiosæ in genere.

1116. — Natura professionis religiosæ tibi clare innotescet, Frater, 1) si rite intellexeris quid professio significet atque importet; dein 2) si ejus diversas species attenderis, et 3) si harum effectus consideraveris.

---

(1) PROV. XVIII, 1. — (2) PHIL. IV, 13. — (3) BERNARDUS a BESSA, *Epist.* n. 15. — (4) Reg. cap. II. — (5) Cfr. S. Bonav. Opera omnia. Ed. ad Claras Aquas, t. 8, p. 451.

§ I. — *De notione professionis religiosæ et de iis quæ professio religiosa necessario importat.*

1164.— *b) Varietas petenda est ex severiori observatione Regulæ.*— Nota vera Capuccinis specialis est "ut Assisiensis Patriarchæ spiritum integrum custodiant, maximeque ad *rigidam innocentiam, altas magnificasque virtutes quibus ille ad miraculum eluxerat* [3], animose ac severe imitandas excitentur: quæ quidem hujus Franciscani Instituti propria quædam est et peculiaris laus." [4]

(1) Litteræ Apostolicæ "*Vicarium Pastoris æterni munus*" 8 Sept. 1909. Cfr. Constitutiones Ordinis nostri p. 15.— (2) Litteræ "*Salvatoris*" 28 Jun. 1627.— (3) LEO XIII, Const. "*Felicitate quadam.*"— (4) PIUS X, *Litteræ* supra cit. Cfr. Constit. Ord. nostri p. 15.

1165.— 2. QUOMODO SEVERIOR OBSERVANTIA IN CONGREGATIONE CAPUCCINORUM STABILITUR.— Hæc observantia per Constitutiones Capuccinorum ordinatur. Quid autem in specie Constitutiones præter Regulam Fratribus observandum præscribant, apprime a nostris Expositoribus Regulæ declaratur. Nobis sufficit hic sequentia adnotare.

1166. — *a) Quoad interpretationem Regulæ*, Constitutiones ipsæ aiunt: "Solummodo pro unico, vivo et authentico Regulæ commentario declarationes accipimus Summorum Pontificum, præsertim Nicolai III et Clementis V felicis recordationis, vitamquæ sanctissimam, doctrinam et exempla ipsius Seraphici Patris." [1]

1167.— *b) Quoad observantiam Testamenti S. P. N. Francisci.*— Sacræ Regulæ junctum reperitur Seraphici Patris Testamentum, hoc nomine insignitum, quoniam ipse in ultimis vitæ suæ horis inter magnos dolores, et inter deliquia, per quæ morti appropinquabat, cum admirabili spiritûs præsentiâ illud fratri Angelo Reatino, socio suo, dictavit.—Hoc autem Testamentum nullam Fratribus Minoribus obligationem imponit, uti Gregorius IX quatuor annis post S. Patris mortem, nimirum anno 1239, et Nicolaus III anno 1279 declararunt [2]. Ast, Constitutiones [3] præscribunt: "ut ab omnibus, juxta mentem S. Sedis, ipsius Beatissimi Patris Testamentum observetur... et hoc, post Summorum Pontificum decreta et declarationes, pro glossâ et expositione præcipuâ Regulæ nostræ accipimus."

Unde fit, Frater, ut varia, quæ a Regulâ non præscribuntur, Capuccini observare teneantur, et P. Van Loo [4] de variis Congregationibus reformatis agens dicit: "Nec silentio prætereunda est Capuccinorum soboles, quæ maximis digna est laudibus, eo quod ea quæ a S. Francisco toties commendata fuerunt quoad paupertatem in ædificiis, supel-

(1) Constit. O. M. C. n. 3.— (2) Cfr. Albertus a Bulsano, *Expos. Reg.* cap XIII, § 193, n. 1.— (3) N. 4.— (4) O. c. p, 149, 150.

lectilibus et vestimentis, peculiari studio ad nostros usque dies servaverit."

Nec dicant Fratres, Testamentum esse veluti aliam Regulam, nam ipse sanctus Pater objectionem confutavit dicens: " quia hæc est recordatio, admonitio, et exhortatio ac meum Testamentum... quod vobis facio, propter hoc ut Regulam, quam Domino promisimus, melius catholice observemus." [1]

1168. — 3. De vi obligatoriâ eorum quæ in Congregatione Capuccinorum stabilita sunt.

a) Nostra Congregatio a Sede Apostolicâ approbatur ut severior reformatio Ordinis Seraphici et *b)* proinde Constitutiones Capuccinorum vim obligatoriam habent, imo *c)* hi qui eas non observant, jam non ut veri religiosi habendi sunt.

1169. — *a) Congregatio Capuccinorum approbatur a Sede Apostolicâ ut reformatio severior Ordinis Seraphici.*—Hoc lucide a Pio X [2] stabilitur; Capulatos enim ut vere Franciscanos agnoscit. " Quare, ait, legitimum eorum Instituti disciplinæque jus libenter Nos agnoscimus et ratum habemus. Optabile vero est, ut quam diximus esse propriam ipsorum notam, imitationem scilicet *severiorem* quamdam Francisci Patris, eam perpetuo incorruptam retineant; proptereaque perseverent... summum evangelicæ paupertatis ac perfectionis cultum studiumque conjungere. Huc admodum spectare Constitutiones rite recognitas et emendatas Ordinis cernimus."

1170. — *b) Præscriptiones Constitutionum habent vim legis.* — Præscripta Constitutionum non esse consilia quis dubitare possit! " De Apostolicæ potestatis plenitudine, Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum Constitutiones... in

(1) Test. Seraph. Patris. — (2) Litter. cit. cfr, Const. Ord. nostri p. 16.

perpetuum approbamus et confirmamus, declarat Pius X [1], præcipientes universis et singulis ex eâ Familiâ Fratribus, ut easdem habeant tanquam propria Statuta, quibus in omnibus rebus obtemperare debeant." Unde ea omnia quæ a S. Regulâ ut consilia proponuntur, eo ipso quod a Constitutionibus ordinantur, jam non sunt consilia, sed statuta vim legis habentia.

1171. — *c) Non observantes Constitutiones non habentur ut veri religiosi.* — Per professionem religiosam, nos omnes, Frater, nosmetipsos tradimus Congregationi Franciscanæ determinatæ, nempe Capuccinorum, et Summus Pontifex nos tanquam veros religiosos, veros Franciscanos, veros Minoriticos reformatos, admittit ad statum religiosum publice coram Ecclesiâ Christi visibili profitendum per observationem non tantum Regulæ S. Francisci, sed et Constitutionum Capuccinorum. Age porro verus religiosus non habendus est ille qui vitam suam normæ vivendi professæ non conformat; et proinde aut Constitutiones sunt observandæ, aut professio est mutanda. Alias mentimur Ecclesiæ et tanquam veri hypocritæ habendi sumus.

§ IV. — *De taxatione votorum per potestatem Superioris Ordinis.*

1172. — Cum religiosus per professionem sese tradat Ordini determinato, sequitur, Frater, ut vota religiosa adhuc possint taxari juxta potestatem Superiorum Ordinis apud quem professus est. Inquirendum igitur esset 1) quâ potestate Superiores nostri gaudeant et 2) quænam sit vis obligatoria hujus potestatis quoad subditos. Sed cum hæc materia infra tractanda sit ubi de voto obedientiæ; jam sermonem instituere possumus de obligationibus Religiosorum et in specie Fratrum Minorum Capuccinorum.

(1) Litteræ cit. cfr. Const. Ord. nostri p. 17.

LIBER QUARTUS.

De obligationibus Religiosorum.

1173. — S. Bernardus de professione monachorum tractans, eorum institutum magnifice extollit. "Quæ est ista, quæso, fratres mei carissimi, exclamat [1], tam pretiosa margarita pro quâ universa dare debemus, id est nosmetipsos, quia totum Deo dedit, qui seipsum obtulit, ut possimus eam habere? Nonne hæc *Religio sancta, pura et immaculata*, in quâ homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, moritur fiducius, purgatur citius, præmiatur copiosius?" Sed hæc et similia de excellentiâ professionis dicta solummodo vera sunt, quando id moribus tenetur, quod professio proclamat. Monachus, ait S. Basilius M. [2], "ubi jam professus est seipsum Deo custodire debet, veluti sacrum quoddam donum, ne sacrilegii damnationem subeat." Unde tibi cum S. Ephrem [3] dico: "Vide cuinam pactus sis et ne parvipendas! Id noveris, quod angeli in horâ illâ (professionis) voces tuas et pacta tua abrenuntiationemque tuam describserint... In die judicii proferent angeli chirographum tuum et verba oris tui coram formidabili tribunali."

Oportet igitur ut omnibus obligationibus per professionem contractis sedulo attendas. Hæc autem universim ex quadruplici fonte nascuntur: I. vel ex naturâ statûs religiosi, — II. vel ex votis in professione emissis,— III. vel ex legibus ecclesiasticis, — IV. vel tandem ex speciali Ordinis legislatione: ex Regulâ nempe et Constitutionibus. Unde quatuor tractatus.

(1) Homil. in Matth. c. 18 in append. P. L. t. 184, col. 1131. — (2) Sermo ascet. n. 2. P. Gr. t. 31 col. 871.— (3) Serm, de Compunct, t. 1. p. 32.

TRACTATUS I

DE OBLIGATIONIBUS EX NATURÂ STATUS RELIGIOSI FLUENTIBUS.

1174. — Ex naturâ statûs religiosi duæ præcipuæ numerantur obligationes, nempe 1. obligatio permanendi in susceptâ vitâ, et 2. in eâdem ad perfectionem tendendi. De his in duobus capitibus.

CAPUT I.

I.— DE OBLIGATIONE PERMANENDI IN SUSCEPTÂ VITÂ RELIGIOSÂ.

1175.— Juxta Ecclesiæ disciplinam hodie vigentem, votis perpetuis vel solemniter professus Religioni ligatur vi pacti quod Religionem inter et profitentem intercessit.

Jam vero pluribus modis dissolvi aut relaxari potest illud pactum, nempe voluntario vel necessario professi egressu.

Voluntarius egressus fieri potest modo licito vel illicito.

Egressus licitus habetur vel vi indulti pontificii, vel per transitum ad aliam Religionem, vel per transitum ad episcopatum.

Egressus illicitus fit per apostasiam aut per fugam religiosi.

Necessarius egressus quadruplici modo evenire potest. Fieri enim potest ut religiosus a Superioribus legitime dimittatur, vel ut Ordo supprimatur, vel ut potestas civilis suppressionem conventuum seu Ordinum Religiosorum decernat et sic eos violentiâ dispergat, vel ut ipsemet Ordo aliquem Religiosum ejiciat [1].

(1) Cfr. P. Piatus o. c. t. 1. P. 3 cap. I, Sectio 2ª.

Porro nostrum propositum non est, Frater, hanc materiam per partes explanare, sed omissis quæ ad jus canonicum et theologiam moralem proprie spectant, dicemus tantummodo 1) de obligatione in statu Franciscano permanendi; 2) de apostasiæ malitiâ, et 3) de ejusdem causis.

§ I.—*De obligatione in statu Franciscano permanendi.*

1176.— Die professionis solemnis, Frater, Deo et Religioni jurasti fidelitatem et stabilitatem tam statûs religiosi quam Congregationis Fratrum Minorum Capuccinorum. Hanc obligationem 1) proclamat S. Regula, 2) imponit S. Mater Ecclesia et 3) optime exponit S. Bonaventura.

1177. —I. **Stabilitatem statûs professi proclamat S. Regula.**— Seraphicus Pater ne filii sui gratiam Dei in vacuum recipiant et ut fideliter in suâ vocatione ambulent, præceptum grave eis imponit, dicens [1]: " Nullo modo licebit eis de istâ Religione exire, juxta mandatum Domini Papæ: quia secundum S. Evangelium, *nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei.* "

1178.—II. **Stabilitatem statûs professi imponit Ecclesia.**— Licet Theologi communiter doceant licitum esse transitum a Religione laxiori ad magis rigorosam, magisque in regulari observantiâ perfectam, hoc principium Fratribus Minoribus Capuccinis vix applicari potest [2]; nam, inspecto Ecclesiæ jure, hodie vigente, præceptum Regulæ non e Religione nostrâ exeundi totam vim suam habet, siquidem S. Sedis indultum requiritur, ut quis ex Nostratibus transitum faciat ad alium Ordinem quamvis rigidissimum, etiam Carthusianorum [3].

(1) Reg. cap. II.— (2) Codex Juris Can. cfr. P. Albertus a Bulsano, Expos. Reg. c. 2, § 28, p. 91,

(3) NOTA.—Martinus V mandato Honorii III derogavit (in Extrav. com. cap. *Vitam ambitiosæ*) transitum ad Carthusianos Fratribus lici-

1179.—III. Stabilitatem statûs professi probat S. Bonaventura.— Argumentum quo S. Bonaventura utitur ad stabilitatem statûs professi stabiliendam nobis Capuccinis omnino valet: "Exitur, ait [1], de Religione aliquâ dupliciter: vel retrocedendo, et hoc revertendo ad sæculum, seu Religionem laxiorem, quorum utrumque post professionem est apostatare et retro aspicere; vel procedendo, ut ad altiorem gradum, frugem scilicet melioris vitæ, ascendendo, sicut faciunt qui se a laxioribus statibus ad Religiones transferunt arctiores, Primus modus exeundi est in omni Religione damnabilis; secundus est laudalilis, ubi est possibilis. Sed professo ad hanc Religionem est impossibilis, quod nisi Papa supponeret, in Regulâ præmittens: *et nullo modo licebit etc.*, non subjungeret: *juxta mandatum Domini Papæ: quia secundum Evangelium nemo mittens manum ad aratrum et respiciens retro, aptus est regno Dei.* Si igitur non licet exire, quia non licet retro aspicere, ergo omnis alia Religio huic est retro, et apostatæ sunt omnes ab hâc Religione post professionem ad quamcumque aliam transeuntes."

1180.— NOTA.— Certum tamen est, Frater, ut optime notat P. Albertus a Bulsano [2], summum Pontificem in lege stabilitatis dispensare posse. "Sed Sedes Apostolica, ait, vocationem divinam mutare nequit, et etiam non dispensat, nisi in quantum preces veritate nituntur. Quod si dispensatio sit vel subreptitia, quia rationes falsæ et fictitiæ ad illam obtinendam proponuntur, vel obreptitia, quia veritas necessario manifestanda reticetur, in utroque casu dispensatio nulla est et coram tribunali divino Religiosum ab Ordine egressum non excusabit."

---

tum esse declarans. Sed Urbanus VIII, (C. *Injuncti Nobis*) decrevit Capuccinos non posse Cathusianorum Ordinem ingredi sine licentiâ Ministri Generalis. Hoc decretum confirmavit Innocentius XII, (C. *Sollicitudo Pastoralis officii*). Cfr. Alb. a. Buls. l. c.

(1) Exposit. Reg. cap. 2, n. 13.— (2) *Expos. Reg.* cap. 2, p. 92.

Quare merito Seraphicus Doctor [1]: "Quod si de licentiâ apostolicâ se glorientur aliqui aliter facientes, pro certissimo sciant, contra hanc Domini sententiam [2], Papam nihil facere: *Nemo mittens manum* etc. Quodsi, mendaciis intervenientibus, aliquid contingat per tales a Sede Apostolicâ impetrari, non est eis excusatio, sed accusationis duplicatio, dum, mendacio tantum Patrem circumvenientes, suæ quærunt apostasiæ pallium."

§ II.—*De malitiâ apostasiæ.*

1181.— Quid apostata et fugitivus?— Qui Religionem approbatam post emissam professionem deserit cum animo non redeundi, sive habitum dimittit, sive non, *apostata* vocatur; qui vero ad tempus sine licentiâ extra monasterium circumvagari præsumit, *fugitivus* vocari solet.

1182. — Malitia apostasiæ. — Apostasia ex hoc apparet horribilis 1) quod continet duplicem malitiam, 2) gravissimis pœnis ecclesiasticis plectitur, 3) desertorem exponit periculo damnationis, 4) eumque toto tempore vitæ omnino infelicem reddit.

NOTA. — Quod de apostasiâ dicitur, aliquo sensu etiam fugitivis applicari potest.

1183.— 1. ***Apostasia duplicem continet malitiam.*** — Per omnem arbitrarium discessum et transitum ad vitam sæcularem violatur contractus inter Professum et Religionem et franguntur vota Deo facta: unde apostata constituitur reus gravis violationis justitiæ et virtutis religionis.

1184.— 2. ***Apostasia plectitur gravissimis pœnis ecclesiasticis.***

1. Religiosus, apostata a religione, ipso jure incurrit in excommunicationem, proprio Superiori majori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci in quo commo-

(1) *Expos. Reg.* c. 2, n. 14.— (2) LUC, XI, 62.

ratur, reservatam, ab actibus legitimis ecclesiasticis est exclusus, privilegiis omnibus religionis privatus, et si redierit, perpetuo caret voce activâ et passivâ, ac præterea aliis pœnis pro gravitate culpæ a Superioribus puniri debet ad normam constitutionum. [1]

2. Religiosus fugitivus ipso facto incurrit in privationem officii, si quod in religione habeat, et in suspensionem proprio Superiori majori reservatam, si sit in sacris; cum autem redierit, puniatur secundum constitutiones, et si constitutiones nihil de hoc caveant, Superior major pro gravitate culpæ pœnas infligat. [2]

Quoad fugitivos vero, Constitutiones [3] ordinant ut "pœnas contra apostatas latas pariter incurrant qui sine litteris obedientialibus tam intra quam extra Provinciam vagantur, dicentes se non apostatandi causâ egressos esse, sed superiores suos adeundi."

1185.— 3. ***Apostatæ periculo damnationis exponuntur.***— "Si enim, ait noster Cyprianus Crousers [4], juxta Veritatis infallibilem sententiam ille, qui tantum retro *aspicit*, ob id etiam dumtaxat ut cognatis, et affinibus valedicat postquam semel manum miserit ad aratrum, regno Dei aptus non est, quanto magis ineptus erit, qui retro *abit*, disceditque."

1186. — 4. ***Apostasia desertorem infelicem reddit.***— "Malitia et infelicitas apostatæ, ait P. Albertus a Bulsano [5], graphice describitur Proverbiis [6] ubi dicitur: *Homo apostata vir inutilis* pro Religione, ex quâ discessit et extra illam ubi sine benedictione divinâ laborabit; *graditur ore perverso*, quatenus ut discessum suum justificare videatur, male loquitur de statu, quem deserit; *annuit oculis*, dum relictæ

(1) Codex Juris. can. 2385.— (2) Ibid. can. 2386.— (3) n. 43.— (4) CYPR. CROUSERS ANTVERPIENSIS ORD. CAPUC. *Lectiones paræneticæ ad Regulam Seraphici Patris S. Francisci.* Coloniæ Agrippinæ, 1615, Lect. 6 ad cap. 2. p. 108. — (5) *Expos Reg.* cap. II, § 28, n. 6. — (6) VI, 12 seq.

Religionis detractores et calumniatores audit, quibus assensu suo animum auget, et saltem signis confirmat id, quod impie spargitur; *terit pede*, quia quietis expers huc illucque cum multorum scandalo circumvagatur; *digito loquitur*, pro eo quod litteris et scripturitionibus infatigabiliter operam dans, curias implet quærelis, postulationibus et recursibus, ut veniam, et impunitatem in propriis excessibus extorqueat; *pravo corde machinatur malum*, quia ejus spiritus tamquam mare a procellâ exagitatur, nec pacem, nec stabilitatem habere potest, quâ de re pravis desideriis, et vetitis concupiscentiis exagitatus ad vitia explenda molitiones suas ut plurimum protendit; demum *omni tempore jurgia seminat*, ut alios quoque ad inobedientiam erga Superiores, vel etiam in apostasiam pertrahat. In fine de apostatâ dicitur: *huic extemplo veniet perditio sua, et subito conteretur, nec habebit ultra medicinam.*"

NOTA. — Attamen si apostatam thesauri amissi pœnitet, non est cur animo cadat quasi a Deo sit deserendus. Deus enim etiam apostatam conversum et pœnitentem non destituet gratiis quibus indiget ad præsentis statûs explenda officia, et ad animam ad finem ob quem creata est perducendam. Sed cavendum est omnibus religiosis, ne gratiam vocationis amittant, et intelligendum quomodo se gerere debeant, ut ambulent *digne Deo*, ambulent digne Evangelio Christi et *digne* ambulent *vocatione, quâ vocati* sunt [1].

Jam vero, ad hunc scopum non sufficit corpore ab Ordine non discedere, et adhuc animo illis rebus adhærere quas pro Christo contempserunt.

Ita serio aratro perfectionis evangelicæ, ad quod manum misimus, intenti simus oportet, Frater, ut illud tam perfecte dirigamus, ut eorum quæ retro nos per professionem relinquimus, penitus obliviscamur.

Ad periculum apostasiæ autem præcavendum ejusdem præcipuas causas breviter indicemus.

(1) I THESS. II, 12.— EPHES. IV, 1.

§ III. — *De causis apostasiæ.*

1187. — Generatim loquendo apostasiam corporis præcedere solet apostasia cordis, quæ committitur, si quis equidem habitum non dimittit, nec locum mutat, sed si Regulam et Constitutiones non observat, earum statuta parvi facit, et habitualiter transgreditur. Cavendum est, dicit S. Bernardus [1] "ne... si forte pudor neget apostasiam corporis, tepor ipse non ingerat apostasiam cordis." Et alibi monachos suos monet dicens [2]: "Cogita unde veneris, et erubesce; ubi sis, et ingemisce; quo vadas et contremisce."

Causæ apostasiæ præter teporem circa observantiam Regulæ et Constitutionum, de quo infra [3], potissimum sunt sequentes: 1) ambitio seu superbia, 2) sensualitas atque 3) pravum exemplum apostatarum.

1188. — 1. *Ambitio seu superbia.* — Ipse Dominus hoc habet oraculum [4]: *Non habitabit in medio domûs meæ qui facit superbiam;* et [5]: *Initium superbiæ hominis apostatare a Deo; quoniam ab eo qui fecit illum recessit cor ejus.* Sane qui prælaturas ambit, et non obtinet, vel obtentas amittit, "contentus in religione vivere nequit, ait P. Albertus [6], sed corde inquietatur, et animo perturbatur, ac Religionem, in quâ se injuste contemptum, ac inique offensum putat, relinquere studet." Et ideo Seraphicus Pater in admonitione IV, cui titulus "quod nullus sibi appropriet prælationem [7]", hæc habet verba: "*Non veni ministrari, sed ministrare* [8]. Illi qui sunt super alios constituti, tantum de illâ prælatione glorientur, quantum si essent in abluendi fratrum pedes officio deputati; et quanto magis turbantur de ablatâ sibi

(1) Serm. 3 in Ps. 90 n. 5. P. L. t. 183. col. 193. — (2) Serm. de primord. mediis et noviss. Serm. 12 de diversis n. 1. P. L. t. 183, col. 571. —(3) Cfr. n. 1210 seq.—(4) Ps. c. 7.—(5) ECCLI. x. 14, 15.— (6) *Expos. Reg.* cap. II § 28 n. 5.— (7) *Opusc.* Ed. ad Claras Aquas, p. 8.— (8) MATTH. XX, 28.

prælatione quam de pedum officio, tanto magis sibi loculos ad periculum animæ componunt." Nam, ait S. Petrus Damianus [1], "quicumque abbatizandi culmen efflagitat... monachum velut importabile onus quærit abjicere; et ne apostata videatur, sub fucato se vult colore regiminis palliare."

1189. —2. ***Sensualitas*** ut alia causa apostatandi merito habetur. Hæc autem sensualitas duplici modo ordinarie sese manifestat *a)* vel per conversationem mundanam, *b)* vel per inordinatum amorem ciborum aut feminarum.

a) PER CONVERSATIONEM MUNDANAM.—Conversatio mundana religioso semper est perniciosa, et nimia cum sæcularibus conversandi libido persæpe apostasiæ principium est. Recole hic quid supra de hâc materiâ dixerimus [2].

b) PER INORDINATUM AMOREM CIBORUM ET FEMINARUM.—Apostasiæ periculum adhuc augetur si conversationi mundanæ accedit amor cibi vel potûs et feminarum, nam juxta S. Scripturam [3]: *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes.* Et constitutiones aperte declarant [4]: "duo esse quæ religiosos contaminant et perdunt, familiaritatem scilicet mulierum et specialitatem ciborum." De abusu ciborum agitur ubi de vitio gulæ [5]; de familiaritate feminarum autem ubi de consortio mulierum [6].

3. ***Pravum exemplum apostatarum.*** — Omnes religiosi Ordinis vehementer perturbantur quando vident aliquos confratres, non solum retro aspicere, sed etiam retro abire, e castris Christi fugere et *jam non ambulare cum illo* [7]. Etsi qui firmiores in dilectione Christi evaserunt, per hoc non moventur, multum tamen turbantur ex eo quod ejusmodi fuga, degenerisque recessus non modicam Deo infert injuriam, graviter lædit bonum Ordinis nomen, salutem proximo-

(1) Opusc. 21 P. L. t. 145, col. 456. — (2) Cfr. n. 32 et seq. — (3) Eccli. xix, 2. — (4) N. 207. — (5) Cfr. n. 1375. — (6) Cfr. n. 68. — (7) Joann. vi, 67.

rum magnopere impedit ; et unusquisque cum Eliâ prophetâ dicit : *Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël* [1].

Ast si perfecti non moventur, qui adhuc parvuli in Christo sunt, vehementer scandalizantur, tacite colligentes inutile et injucundum omnino esse Dei obsequium, siquidem jam professi illud adversantur et fugiunt.

CONCLUSIO. — *Status perfectionis propter deficientes ab eo nihilominus est amplectendus.* Audi S. Paulum hanc veritatem docentem : *Quod si quidam non crediderunt,* inquit [2], *numquid incredulitas illorum fidem Dei evacuabit ?* Et merito quidem, Frater; num crucifixus est spernendus, quia Judæis scandalum est, gentibus vero stultitia? Num sublimitas cœlorum ideo negligenda, quia angeli mali inde exciderunt? Num Matthias apostolatum recusavit accipere de quo prævaricatus est Judas?

Sed jam non sufficit Ordinem professum non deserere, in Ordine ad perfectionem adhuc tendere omnino necesse est.

CAPUT II.

DE OBLIGATIONE TENDENDI AD PERFECTIONEM.

1190. — Alia obligatio, vi statûs, religiosis incumbit: nempe perfectionem sectandi. Ad hanc materiam accurate pertractandam, dicemus 1) de obligatione tendendi ad perfectionem in genere, 2) de naturâ ejusmodi obligationis pro religiosis, et 3) de peccatis eidem oppositis.

(1) III Reg. XIX, 10.— (2) ROM. III, 3.

Art. I. — De obligatione tendendi ad perfectionem in genere.

1191. — Claritatis causâ, maxime juvabit, Frater, hic aliquas recolere notiones de naturâ et statu perfectionis.

Perfectio nihil aliud est quam unio hominis ad finem suum ultimum, nempe Deum [1].

Perfectio autem vitæ christianæ essentialiter in caritate Dei et proximi consistit [2]. Hæc caritas etsi nihil habet consilii et omnia sunt præcepti [3], non eodem modo tamen ad eam prosequendam tenentur fideles et religiosi. Perfectio enim caritatis duplex est: una *essentialis*, quæ precise sumpta, finis est statûs communis Christianorum, et tota quanta in observatione mandatorum consistit. Altera *accidentalis*, quæ proprie finis est statûs perfectionis acquirendæ seu religiosi, et quæ postulat non tantum *nudum "esse"* caritatis, sed peculiare ejusdem augmentum, per observationem non tantum præceptorum, sed et consiliorum.

Jam porro 1) christiani ex vi statûs non tenentur ad caritatem non communem per observationem consiliorum sectandam, sed 2) hæc obligatio vi statûs incumbit religiosis, post professionem rite peractam.

§ I. — *Christiani vi statûs non tenentur ad perfectionem sectandam.*

1192. — Etsi sanctitas seu perfectio omnes decet Christianos, et S. Paulus ad Ephesios merito scribit [4]: nos electos esse *ut essemus sancti*, et S. Petrus [5]: *Ipsi in omni conversatione sancti sitis; quoniam scriptum est: Sancti eritis, quoniam ego sanctus sum:* attamen fideles in statu communi A) non tenentur per se ad consilia observanda et opera superero-

(1) Cfr. n. 801 seq. — (2) Cfr. n, 803. — (3) Cfr. n. 399. — (4) Eph. I, 4. — (5) I Petr. I, 15, 16.

gatoria peragenda ; B) licet tamen non possint expresse intendere per hæc media in caritate non proficere, nec C) a fortiori hæc media formaliter contemnere.

1193.— A) Non tenentur per se ad opera supererogatoria. — 1) NON TENENTUR.— Nulla enim lex obligat christianos ad opera supererogatoria peragenda. Ipse Dominus dicit [1] : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et proinde licet quis possit eleemosynas erogare, non peccat si occurrenti huic pauperi non dat, quia ad singulare hoc nullâ lege adstringitur. Alioquin nullum esset consilium, sed omnia essent præcepta. Sufficit igitur Christiano homini vi statûs, ut diligenter, strenue, integre exerceat ea quæ sunt præscripta et caveat ne Deum mandata transgrediendo offendat.

Etsi tamen nullus Christianus per se ad consilia tenetur, vix contingere potest ut præcepta debito modo adimpleat quin, saltem aliquando, aliquid supererogationis et consilii ipsis præceptis misceatur. Et eo sensu interpretandum est axioma mysticum S. S. Patrum: "*In viâ non progredi, regredi est.*" [2]

1194.— 2) *Dicimus* PER SE. — Christianus enim homo sub gravi culpâ tenetur periculum proximum labendi in peccatum mortale vitare. Unde tenetur ad consilia et opera supererogatoria contendere quo hoc periculum vitetur. Sed hoc in casu obligatio consilia observandi non per se provenit ex objecto consilii, sed ex objecto præceptorum postulantium juvari per consilia. Et ideo non consiliis, sed præceptis tribuitur obligatio per consilia ad perfectionem

(1) MATTH. XIX, 17.— (2) S. Augustinus (Sermo 169, alias 15 de verbis Apostol. cap. XV. P. L. t. 38, col. 926) ait "Remanet qui non proficit." Adagium olim tum S. Hieronymo, tum S. Augustino tributum, sed quod est Pelagii. (In opp. S. Augustin. Epist. 17, Pelagii ad Demetriadem. cap. 27. P. L. t. 33, col. 1118.) "Nostrum non progredi, jam reverti est." S. Leo (Serm. 59, de Pass. 8. c. 8. P. L. t. 54, col. 342) "Qui non proficit, deficit." S. Bernardus (Epist. 385, n. 1. P. L. t. 182, col. 558) "Non proficere, sine dubio deficere est."

tendendi [1]. Proinde patet, Frater, observationem consiliorum tantummodo obligare quando necessitas id requirit.

Et sic interpretanda sunt verba Domini: *Si quis*, ait [2], *venit ad me, et non odit patrem suum, et matrem, et uxorem, et filios, et fratres, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.* Hoc præceptum certe, ut merito notat S. Basilius [3], non solum religiosos, sed omnes fideles etiam matrimonio junctos stringit, sed tempore necessitatis tantum.

Ex his et similibus Domini præceptis, concludit S. Chrysostomus [4]: "quod igitur et sæcularem et monachum ad idem cacumen pertingere oporteat,... ne admodum quidem contentiosum et impudentem deinceps negaturum puto."

1195.— B) **Christianus non potest in observantiam consiliorum intendere.**— Illicitum est homini christiano habere intentionem non proficiendi in caritate aut bonis operibus ultra id quod præcipitur. Per talem agendi modum firmat animum contra spiritualem profectum et directe ponit obicem Spiritui Sancto et gratiæ. Peccat igitur, sed venialiter tantum, quia non exit limites præceptorum necessariorum ad salutem, et salvatur dilectio Dei super omnia, et debita et sufficiens intentio progressûs ad vitam æternam, et per consequens caritas necessaria ad salutem. [5]

1196.— C) **Christiano non licet consilia formaliter contemnere.**

Quid contemptus? — Contemptus est appretiatio minus justa quâ homo aliquid non tanti quanti est, æstimat, et de eo non curat vel ei adversatur.

Quotuplex?— Hic contemptus sumitur vel sensu lato, vel sensu stricto seu formaliter,

---

(1) Cfr. Schram o. c. t. I Dissert. procem. § 21.— (2) Luc. xiv. 26. —(3) Serm. de Renuntiatione sæc. n. 2. P. G. t. 31, col. 630.—(4) Lib. 3 Advers. oppugnatores vitæ monasticæ. n. 14. P. G. t. 47, col. 375. — (5) Cfr. Cajetanus in Summ. 2. 2. q. 186, art. 2.

Sensu lato sumitur pro omni malâ voluntate, quâ quis a Deo se avertit. Hic actus est aliquo modo contemptus interpretativus et sic communiter dicitur contemptum in omni peccato inveniri.

Sensu stricto seu formaliter contemptus dicitur de ipso contemptu Dei, qui nihil aliud est quam nolle subjici divinæ regulæ.

De contemptu formali hic agitur, et habetur quando christianus refugit subjici consiliis divinis ut consiliis, et profectui caritatis ut perfectiori viæ.

Hic contemptus homini prohibetur sub reatu peccati mortalis. — Si enim consilia et opera supererogatoria sic contemnuntur, contemnitur Deus consilians, sicut per contemptionem præceptorum contemnitur Deus præcipiens. [1] "Si quis autem, ait Cajetanus [2], spiritualem profectum et divina consilia ut postea a Deo ordinata, reveretur, sed quia non obligatur ad illa, et non sunt necessaria ad salutem, non vult illa amplecti, et nihil curat de illis pro se, talis non contemnit Deum, sed potius operum executionem, ac per hoc non peccat mortaliter ex hujusmodi incuriâ deliberatâ, quæ nonnullus contemptus est, omittendo intentionem et executionem profectûs spiritualis et operum bonorum quæ posset facere."

Uti vides, Frater, Christiani ad perfectionem sectandam per observationem consiliorum evangelicorum per se et vi statûs non tenentur, sed hæc obligatio graviter incumbit religiosis.

§ II. — *Religiosi vi statûs ad perfectionem sectandam graviter tenentur.*

1197.— Status religiosus, uti vidimus. Frater [3], status est perfectionis acquirendæ. Unde sequitur 1) licet professores

(1) Cfr. S. Thom. 2. 2. q. 186, art, 9. ad 3.— (2) In 2. 2. q. 186, a. 2. — (3) Cfr. n. 913 seq.

sanctitatis non debeant esse perfecti, 2) eos tamen ad perfectionem prosequendam teneri.

1198.— 1. **Religiosi non tenentur esse perfecti.**— Sicut in scholâ duplex est conditio theologorum, una quidem doctorum, quibus convenit docere, et alia discipulorum, quibus expedit addiscere, ita duplex invenitur status perfectionis, uti diximus [1], unus perfectionis exercendæ, nempe Episcoporum, et alter perfectionis acquirendæ, nempe religiosorum. Jam vero, ut S. Thomas [2] apprime docet: "Manifestum est quod ille, qui operatur ad finem, non ex necessitate convenit, quod jam assecutus sit finem, sed requiritur quod per aliquam viam tendat ad finem. Et ideo ille qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam caritatem, sed tenetur ad hoc tendere, et operam dare ut habeat caritatem perfectam." Unde:

1199.— *a) Religiosus non peccat contra hanc obligationem, qui actu non est perfectus,* etsi provectæ est ætatis; conatus et non perfectio, ipsi vi statûs incumbit. Dein, ut Doctor angelicus notat [3]: "Eâdem ratione non tenetur ad hoc, quod illa impleat, quæ ad perfectionem caritatis consequuntur; tenetur autem ut ad ea implenda intendat." Dein:

1200.— *b) Non tenetur actualiter tendere et operari ad perfectionem.*— Alioquin desinens actu perfectionem sectari, committendo liquido animo peccata venialia, peccaret mortaliter, ageret enim directe contra finem professionis, ut ex infra dicendis clare apparebit, et sic hæc obligatio religioso esset laqueus animarum, quod repugnat. "Satis proinde est, ait P. Neudecker [4], si religiosus discreto et humano modo studio perfectionis intendat. Numquid enim etiam ille, qui profitetur artem aliquam addiscendam, neutiquam debet continuo et semper actualiter tali arti incumbere? Numquid viator quoque sufficienter dicitur tendere ad des-

(1) Cfr. n. 908.— (2) 2. 2. q. 186, a. 2.— (3) S. Th. l. c.— (4) O. c. t. 2, cap. I, § 2, n. 50.

tinatum sibi terminum, etsi non continuo, et ininterruptim progrediatur, sed subin subistat, mentem, corpus, viresque recreet, et interquiescat? Consequenter idem erit de religioso in viâ ad perfectionem constituto dicendum." Si igitur libros spirituales legis vel S. S. Patrum dicta audis, quibus continuum nobis studium perfectionis inculcare videntur, attendendum est non ad litteram, sed ad mentem S. S Patrum. Desiderant unice humano modo, attentâ simul nostræ naturæ fragilitate, nos ad perfectionem stimulare.

Religiosus, etsi non tenetur esse perfectus, tenetur tamen sub reatu peccati mortalis perfectionem sectari et ad eam saltem habitualiter intendere.

1201.— 2. **Religiosi graviter tenentur perfectionem sectari.** *a) Ex naturâ statûs professi.*— Hanc obligationem adesse ex ipsâ professione statûs clare apparet. Profitens hunc statum sese obligat non tantum ad statum, sed ea etiam omnia servanda quæ conditio hujus statûs postulat, id est velle tendere ad perfectionem, et igitur tacite spondet se ad finem talis statûs intentione atque operâ esse nisurum. Sicut enim ridiculum esset se scholasticum inter scholam theologiæ profiteri et sine studiis manere ut talem velle, neque intendere dare operam tali scientiæ acquirendæ, ita et in scholâ perfectionis acquirendæ.

1202.— *b) Ex eo quod status religiosus ordinatur ad publice Ecclesiæ sanctitatem manifestandam.*—Status religiosus, uti vidimus [1], ordinatur naturâ suâ ad *publice* Ecclesiæ sanctitatem manifestandam. Religiosus igitur sese adstringens ad talem statum *publice* coram Ecclesiâ Christi profitendum, eo ipso se obligat ad perfectionem sectandam. Nam, sicut qui *publice* constitutus est notarius, operam suam detrectare nequit, ita etiam religiosus qui *publice* et authentice ab Ecclesiâ constitutus est ad sanctitatem Ecclesiæ manifestan-

(1) Cfr. n. 1114.

dam, deponere non potest intentionem perfectionem sectandi.

1203.— *c) Ex tacitâ et onerosâ promissione, in professione inclusâ.*— In ipsâ professione religiosâ, Frater, obligatio perfectionem sectandi tacite includitur. Etenim neque Ecclesia, neque ulla familia religiosa absque tali obligatione candidatum admitteret ad statum religiosum profitendum [1].

Hæc obligatio est gravis, quia media quibus religiosus ex vi professionis uti debet ad perfectionem prosequendam ei graviter imponuntur.

Art. II.— De naturâ obligationis perfectionem sectandi.

1204.— Obligatio perfectionem sectandi provenit 1) ex virtute Religionis, 2) est formaliter distincta ab obligatione votorum et 3) taxatur unice per media apta et diserte promissa.

1205.— 1. **Religiosi ex vi virtutis Religionis ad perfectionem sectandam tenentur.**— Per baptismum omnes christiani profitentur statum christianum et promittunt se legem Dei servaturos, atque ex eo tempore diabolo et pompis ejus renuntiaturos. Christiani obligantur igitur ad finem statûs communis assequendum per media apta, id est per observationem mandatorum. Sed hæc obligatio non provenit immediate ex voluntate christianorum talem statum profitentium, sed immediate ex voluntate Christi, qui hunc statum ut obligatorium ad salutem omnibus hominibus proponit. Obligatio igitur istius statûs non est promissionis proprie dictæ, sed est legis seu præcepti, licet consensus accedat ex parte profitentis. Professio ergo statûs christiani

(1) Cfr. P. Vermeersch, o. c. t. 1, n. 224, et t. 2, suppl sext. p. 68, Suarez. *de Religione*, t. 8, l. 1, c. 4 n. 10.

est solummodo testificatio et acceptatio obligationis quam lex Dei secum affert, ac proin promissiones baptismi non appellanda sunt vota nisi forte improprie et largo modo, ait Bellarminus [1]. Nullâ etiam auctoritate et traditione constat, Frater, Ecclesiam præcepisse vota in baptismo esse facienda, quæ potius essent in laqueum, quam in utilitatem, nam omnia peccata christianorum essent sacrilegia, præter malitias quas habent in propriis speciebus, quod probabile non est [2]. Sed religiosi vi voti ad finem statûs perfectionis acquirendæ tenentur. Ligamen quo status religiosus stabilitur, votum est, provenit non ex lege, seu præcepto, sed immediate et active a statum religiosum voventibus, "qui se totaliter mancipant divino servitio, quasi holocaustum Deo offerentes [3]." Et ideo religiosi ad perfectionem sectandam tenentur vi virtutis religionis.

1206.— 2. **Obligatio perfectionem sectandi distincta est ab obligatione votorum.**—Hæc affirmatio, Frater, clare sequitur ex doctrinâ antea expositâ et probatâ [4]. Licet enim hodie professio religiosa et emissio votorum evangelicorum materialiter sint conjuncta, differentia formalis tamen inter utramque invenitur.

Qui enim in sæculo vota evangelica emittit, coram Deo unice sese adstringit ad vota servanda; qui autem statum perfectionis acquirendæ profitetur, tacite spondet se ad perfectionem esse nisurum per media apta.

Sed hic quærere possis quænam sint hæc media?

1207.— 3. **Ad perfectionem tendendum est per media apta et diserte promissa.**— Religiosus per professionem religiosam, juxta hodiernum Ecclesiæ jus, sese tradat oportet ad statum perfectionis profitendum in Religione ab ipsâ approbatâ.

---

(1) *De Monachis*, L. 2, cap. 19.— (2) BELLARM. l. c.— (3) S. THOM. 2. 2. q. 186, a. 1.— (4) Cfr. n. 1121 seq.

1208.— Unde media apta et diserte promissa sunt:

a) PRÆTER OBSERVATIONEM PRÆCEPTORUM, ETIAM CONSILIORUM EVANGELICORUM. — "Religiosi eo ipso quod sacram Regulam professi sint, seque ad ea consilia evangelica, quæ tria vota Religionis concernunt, in conscientiâ obligarint, per ista tanquam principalia media, saltem implicite, tacite et virtualiter pariter etiam se obligarunt tendere ad finem horum mediorum, ad quem ista ordinata sunt, consequenter ad religiosam perfectionem. Et sane; si miles, postquam militiæ nomen dedit, ac ad statum militarem se sacramento obstrinxit, obligatur ad exercitia militaria, ad pugnandum et confligendum cum hoste, omnesque partes militis explere; quidni et Religiosus, postquam solemniter statum regularem, qui *status perfectionis* est, professus fuit, graviter obligatus jure merito censeatur ad hoc, ut exercitia religiosa, seu ordinata in quâvis sanctâ Religione media, quæ ad perfectionem deducunt, serio et industrie applicet, sicque applicando et conando ad perfectionem tendat." [1]

Dicimus: *præter observationem præceptorum.* Status enim perfectionis, uti diximus, se habet per additamentum ad statum communem, et ab eo distinguitur tanquam includens ab incluso.

Religiosus igitur statum perfectionis profitens, eo ipso obligationes statûs communis tacite spondet.

1209.— *b)* TENETUR AD VIAS ET MODOS IN UNÂQUÂQUE RELIGIONE PRÆSCRIPTOS.— Unaquæque Religio approbata sua habet statuta juxta quæ norma vivendi evangelica taxanda est.

Unde Frater Minor Capuccinus unice tenetur ad vias et modos Seraphicæ Regulæ et Constitutionum Fratrum Minorum Capuccinorum, et eo modo quo ibi proponuntur, scilicet obligatorie vel consultorie, et non obligatur ad alia consilia vel opera supererogatoria adimplenda, nam, ait

(1) NEUDECKER, l. c. n. 42.

Suarez: [1] "Quamvis religiosus per votum efficiat sibi præceptum quod alias erat consilium, nihilominus servando votum illud, implet etiam consilium, et tendit per viam perfectionis, alias servare castitatem et paupertatem religioso voto confirmatam, non esset tendere ad perfectionem, quod plane absurdum est."

Nihilominus tamen, etsi, per se et vi obligationis perfectionem sectandi, religiosus ad alia consilia non adstringitur, ex votorum et præceptorum Regulæ "observantiâ et applicatione eveniet, ait P. Neudecker [2], quod Religiosus sponte suâ ad varia supererogatoria virtutum opera eo uberius sit progressurus, quo magis in profectu, mediante perfervido conatu, creverit; talis enim non erit mercenarius tantum, ut solummodo obligatoria expleat, ne peccet; sed et ut filius operabitur. Deo placere studens per opera supererogatoria juxta mensuram caritatis magis vel minus intensæ ac radicatæ, quæ nescit arctari præcise inter limites obligationum, sed erumpet ad ampliora et voluntaria opera, queis indies magis proficiet, sicque perfectiore viâ modoque tendet ad perfectionem."

His de notione obligationis perfectionem sectandi dictis, facile stabilire possumus peccata quæ ei opponuntur.

ART. III. — De peccatis obligationi perfectionem sectandi contrariis.

1210. — Obligatio perfectionem sectandi coalescit virtuti sedulitatis. — Ex hactenus dictis sequitur, Frater, obligationem sectandi perfectionem, pro religioso virtuti sedulitatis coalescere. Virtute sedulitatis seu solertiæ præditus Religiosus numquam ab obligatione tendendi ad perfectionem deficiet. Per hanc enim virtutem labores quoscumque et quælibet agenda ex statu, officio, vel obedientiâ sibi incumbentia,

(1) *De Relig.* Tr. 8. L. 1. c. 4. n. 11.— (2) O. c. l. c. n. 60.

debito tempore, modo et ordine, diligenter, fideliter, pro qualitate virium peragit.

1211. — Sedulitati opponitur acedia. — Ast huic virtuti opponitur acedia, non illa *specialis*, de quâ jam sermonem habuimus [1], sed *universalis*, illa nempe quæ ordinarie vocatur tædium, tepor, languor animi ad bene operandum, "quo quis actus et opera debita præsertim spiritualia, inchoare, vel inchoata debite perficere negligit. Dicitur præsertim spiritualia, nam etsi, ait P. Neudecker [2], circa alia utilia et laudabilia opera detur acedia, attamen hæc maxime versatur circa spiritualia exercitia, utpote quæ fere cuncta molesta, tædiosa et gravia reputat acediosus, eaque propterea vel negligit, vel nonnisi cum nausea, fastidio et tædio negligenter peragit."

1212. — Effectus acediæ. — Generatim acedia in homine generat malitiam, immo quasi omnis malitiæ est mater. Nec mirum, inquit P. Neudecker [3]: "Cum enim acediosi, desides, et otiosi in operibus, et exercitiis piis nullum gaudium, nullamque consolationem, sed nauseam potius, fastidium, et tædium habeant, mens autem humana semper aliquid quærat, quo delectetur, recreetur et consolationem percipiat, necesse est quod, si licitis et spiritualibus rebus non delectetur, ad vana et illicita convertatur, indeque diabolo janua ex integro aperiatur, planaque sternatur via hominem tentandi, et ad peccata tum omissionis, tum commissionis inducendi... *Maledictus autem, qui facit opus Domini fraudulenter.* [4] Septuaginta vertunt *negligenter.*"

Unde vides, Frater, omnia peccata obligationi perfectionem sectandi contraria ex acediâ suam ducere originem, immo hanc acediam huic obligationi directe esse oppositam, et religiosum graviter vel leviter peccare, si acediose viven-

(1) Cfr. n. 409. — (2) Op. c. P. 2. cap. XVIII, § 1. n. 5. p. 329. — (3) O. c. l. c. p. 330. — (4) JEREM. XLVIII, 10.

do perfecte vel imperfecte prosecutioni perfectionis renuntiat.

Dicemus igitur primo de renuntiatione completâ seu de peccatis mortalibus contra obligationem tendendi ad perfectionem, et dein de renuntiatione incompletâ seu de peccatis venialibus.

§ I. — *De peccatis mortalibus obligationi perfectionem sectandi contrariis.*

1213. — Religiosus acediosus qui modo completo, obligationi perfectionem sectandi valedicit, mortaliter peccat, et tenetur hanc speciem peccati in confessione declarare. Hoc evenit:

1214. — *a) Quando formaliter contemnit perfectionem, i. e. quando ex intentione actuali vel habituali animum avertit ab acquirendâ perfectione.* — "Patet ex dictis S. Thomæ [1], ait P. Corduba, celeber Expositor nostræ Regulæ [2], quod tunc directe peccat Religiosus mortaliter contra suam professionem, seu contra statum suæ Religionis, non quidem quando non est perfectus, sed quando ab intentione perfectionis animum revocat; seu quando proponit actualiter, seu virtualiter, jam de cetero non studere perfectioni acquirendæ per vias et modos suæ regulæ et religionis, ut dictum est; quia jam iste talis directe obviat proposito suæ professionis; et hic etiam directe jam contemnit suam professionem per tale propositum, ex quo eam jam non appretiat, nec æstimat ut tenetur, sicque perfectionem jam contemnit, ex quo ad eam, quam professus est, tendere non intendit per tale propositum contrarium."

Tali religioso autem verba Scripturæ sacræ appropriari possunt [3]: *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, et mortuus es. Non enim invenio opera tua plena.* Talis enim quamvis ab

(1) 2. 2. q. 116 et q. 184. — (2) L. c. c. 1. q. 3. — (3) APOCAL. III, 1. 2.

aliis gravibus peccatis foret immunis, sicque sibi blandiretur, quod nomen habeat religiosi, revera tamen spiritualiter mortuus est, utpote reus peccati mortalis per hoc quod valedicit obligationi gravi per professionem religiosam contractæ. S. Patres et ascetæ censent infelices et in tepiditate ac languore misere tabescentes religiosos, in statu periculosiori esse quam peccatores patenter et graviter peccantes. S. Bernardinus Senensis [1] tales tepidos vocat "pessimas bestias, quorum status est periculosior omnibus aliis, quia melius est esse facinorosum; quia sceleratus cognoscens se pessimum tremit dicendo: Heu miser! Quot mala feci!... Tepidus vero: Quid mali feci? Non furatus sum, non fui proditor... Sic isto modo se excusat, non videns, quod tunc intricatus est."

Uti vides, Frater, S. Bernardinus non dicit statum manifeste peccantium secundum se et ex naturâ suâ meliorem esse, quam statum tepidorum, qui omni perfectionis assecutioni valedicunt; sed dicit in aperte peccantibus majorem adhuc dispositionem haberi et ampliorem spem resipiscentiæ, minusque impedimentum sinceræ pœnitentiæ ac veræ conversionis. Etenim hi miseriam statûs sui facilius dignoscentes, facilius etiam redeunt ad cor, id est ad pœnitentiam et emendationem, dum e contra vere et radicate tepidi qui positive nolunt perfectionem statûs prosequi, nonnisi modicam videntur præseferre spem emendationis [2], "eo ipso, ut merito notat P. Neudecker [3], quod ob magnam, præcipue inveteratam socordiam, ex culpabili, supinâ, et forsan affectatâ ignorantiâ non advertant, grave lapsûs in plura peccata mortalia sublatere periculum, sicque suæ conditionis miseriam ex pessimâ incuriâ non agnoscentes, et male securi de statu gratiæ, quævis passim peccata liberius committant, et facile devorent, quæ sibi nonnisi venialia videntur."

Hic casus tamen admodum rarus est.

(1) In quadrag. serm. 7. tom. 4. Edit. Venetiis, 1591. p. 36.—(2) Cfr. P. Neudecker, l. c. P. II, cap. 1. § 2. n. 46.— (3) L. c.

1215. — *b) Quando frequenter perrumpit vota vel alia quævis præcepta gravia* [1]. Scito tamen, Frater, singula peccata non adversari habituali intentioni perfectionem sectandi, quod apprime docet P. Neudecker [2]: "Sicut belli dux aut miles certans contra hostem, boni ducis aut militis nomen promeretur, tametsi hostem non penitus expugnet et deleat, quinimo, etiamsi subin minus feliciter pugnet: ita pariter in pugnâ spirituali res se habet, in quâ quantumvis religiosus interdum a passione et fragilitate suâ superatur, dummodo ceteroquin a contentione pugnæ, conatu et labore, passiones subjugandi haud desistat."

1216. — *c) Quando ita contemnit regulam vel superioris potestatem, ut virtualiter jugum istud exuat, et profiteatur se hoc regimine solutum* [3]. De contemptu superioris agetur infra ubi de voto obedientiæ, hic tantum de contemptu Regulæ et constitutionum.

Religiosus, uti diximus, sese per professionem tradit Ordini determinato, qui pro nobis est Ordo Seraphicus Capuccinorum: "Cum itaque, ait P. Neudecker [4], ad hanc cuilibet Religioso Instituto accommodatam, et peculiariter convenientem perfectionem tendere debeat per ea media, quæ in quâvis sacrâ Religione determinate sunt ordinata, consequens videtur, religiosum obligari in conscientiâ ut præter observantiam votorum substantialium, quæ cuivis approbatæ Religioni sunt communia, insuper etiam suo modo observare conetur ea, quæ sunt specialia, et determinatæ cuivis Religioni in particulari appropriata media, puta ordinationes S. Regulæ et Superiorum statuta. Unde suo statui particulari minime similis religiosus satisfaceret, si ea passim negligeret et obvie absque ullâ curâ transgrederetur: nam quomodo talis verum daret indicium, quod serio conetur tendere ad perfectionem suæ Regulæ, quam specialiter pro-

(1) LEHMKUHL, I, 516. — (2) L. c. n. 53. — (3) LEHMKUHL, l. c. — (4) L. c. n. 63.

fessus est, propriam, si passim eamdem negligat absque ullâ adhibitâ diligentiâ, observandi ordinationes saluberrimas vel constitutiones in eâ contentas?"

Etsi hic modus agendi per se probabilius tantummodo est venialis, uti infra dicemus, nihilominus Religiosus sic vivendo peccat mortaliter, si contemptus accedit.

Quamvis ergo, Frater, Constitutiones nostræ *per se* sub culpâ non obligent, nemini licet eas formaliter vel virtualiter contemnere. Audi etiam nostrum P. Cordubam [1]: "*Religiosus deponens actualiter vel virtualiter animum servandi suam regulam, peccat mortaliter contra professionem illius.* Et idem Cajetanus [2] dicit quod tunc religiosi habent animum et intentionem tendendi ad perfectionem, (ut tenentur), quando intendunt vivere secundum Regulam, et Constitutiones suas, quamvis interdum in multis delinquant, aliquando mortaliter, aliquando venialiter, alias si deponunt, saltem virtualiter, talem animum, quamvis actu non peccent contra aliquod præceptum Regulæ et Constitutionum; tamen talis intentio non vivendi secundum Regulam et Constitutiones, est contemptus mortalis, et contra professionem suam, ad quam tenetur, ut dictum est."

1217. — *d) Qui ita perturbat disciplinam religiosam ut se opponat gravi periculo ejectionis.* "His enim artibus, ait P. Vermeersch [3], vel formaliter vel virtualiter abjicit sive ipsum studium perfectionis, sive illud quod professione promisit."

§ II. — *De peccatis levibus obligationi perfectionem sectandi contrariis.*

1218. — Religiosus acediosus non complete suæ obligationi ad perfectionem tendendi valedicit, et per consequens leviter tantummodo peccat:

(1) L. c. cap. I, q. 3. concl. 3.— (2) 2. 2. q. 184, art. 5.— (3) O. c. n. 225; cfr. Laymann. l. 4. tr. 5. c. 9. n. 9.; Lehmkuhl. l. c.

1219. — *a) Qui frequenter, liquido animo, reus fit peccatorum venialium.* — Peccata venialia enim multiplicia non raro impedimentum injiciunt in acquirendâ vitæ perfectione, vel saltem obtentionem ejusdem non parum retardant.

1220. — *b) Qui ea tantum intendit servare quæ sub gravi obligant et de ceteris non curat.* — Varii auctores in tali casu agnoscunt culpam gravem contra obligationem tendendi ad perfectionem [1]. S. Alphonsus [2] cum fere omnibus recentioribus tenet religiosos sic agentes 1) probabiliter leviter tantum peccare contra obligationem tendendi ad perfectionem 2) etsi peccata mortalia tamen ex aliis capitibus inveniri possunt.

1221. — 1) PECCANT VENIALITER. — "Tametsi autem religiosus non teneatur ex conscientiâ obligante positive tendere ad id, quod melius, neque ad opera supererogatoria facienda sub peccato, nihilominus ille religiosus, qui præcise intenderet observare præcepta, et vota obligatoria, de reliquo autem positivam haberet intentionem non proficiendi amplius, nec ultra ac præceptum est, faciendi quod melius et perfectius, adeoque nihil supererogatorium, juxta nostrum P. Antonium de Corduba [3], peccaret saltem venialiter, ait P. Neudecker [4]; ratio est, quia etsi quis ad ista non obligetur facienda, attamen inconveniens et inordinatum est, positive ea rejicere quæ ad finem, ad quem quis tendere obligatur, admodum conducunt. Sic etiam etsi quivis christianus licite possit omittere ea, quæ præcepta non sunt: attamen omni culpâ carere non est censendus, qui absolute et firmiter ita obfirmaret animum, ut ultra præcepta ac obligationes absolute nihil bene agere concluderet. Pejus adhuc, et graviter delinqueret, qui supererogа-

(1) V. g. Sanchez, l. c. Lib. VI. cap. 5. n. 7. Albertus a Bulsano, *Expos. Reg.* § 9.— (2) Lib. 4, n. 10 et 11.—(3) In Expos. Reg. S. Franc. cap. 1. q. 3,— (4) L. c. n. 61.

toria, et ea, ad quæ sub culpâ non tenetur, proprie et formaliter contemneret."

Peccant venialiter tantum quia cum ejusmodi agendi ratione stare potest observantia votorum, et specialium Ordinis Seraphici præceptorum, modo tamen, uti supra diximus, contemptus formalis aut virtualis non interveniat.

1222. — 2) Ex aliis capitibus peccare potest mortaliter: Nempe ratione periculi transgrediendi vota, vel grave damnum religioni inferendi quoad regularem disciplinam. Sed raro tamen in praxi peccati gravis rei censendi sunt religiosi ob regularum violationem, quæ sub reatu culpæ non imponuntur.

Quoad periculum proximum labendi in mortale. Raro enim evenit ut inobservantia constitutionum tale periculum afferat, et ut religiosus adeo sit salutis suæ immemor, ut videns proximam graviter peccandi occasionem, ab eâ non refugiat.

Quoad regularem disciplinam, item raro contingit ita violari regulam, ut grave damnum religiosæ disciplinæ inferatur, quia damnum illud non evenire solet si prælatus opportunis pœnitentiis transgressiones coërcet; et facilius in hoc graviter peccabunt superiores non corrigendo, quam singuli religiosi regulam facile transgrediendo [1].

CONCLUSIO.

1223. — Obligatio perfectionem sectandi nobis religiosis sub gravi per professionem religiosam imponitur et usque ad extremum vitæ diem nunquam a prosecutione sanctitatis deficere possumus. "Errant," igitur ait P. Neudecker [2], "qui postquam primis suæ conversionis temporibus operam, fervensque studium navarunt in applicatione mediorum ad perfectionem, suo qualicunque profectu, quem comparave-

(1) Ita Bouix, o. c. t. 2 p. 583.—(2) L. c. t. 2, c. 1, n. 55.

runt, contenti, non amplius, postquam a Magisterio, seu a curâ sui Magistri sive Directoris spiritualis sunt exempti, existunt solliciti de majori adhuc progressu, et hinc pariter ab ulteriori conatu desistunt." Hos, Frater, S. Bernardus amare reprehendit [1] quærens: "Ubi ergo sunt, qui dicere solent: sufficit nobis, nolumus esse meliores quam Patres nostri? O Monache! non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? Sic mihi, inquis, vivere volo, et manere in quo perveni, nec pejor fieri patior, nec melior cupio. Hoc ergo vis quod esse non potest."

Noli tamen cadere animo et inordinate contristari quando ex fragilitate humanâ in studio perfectionis viâque ad eam tendendi subinde remissus existis, aliqualiter a fervore deflectis; etsi talis remissio non est laudabilis, imo periculosa, contra tuam obligationem tantummodo peccas, quando eidem formaliter vel virtualiter et voluntarie valedicis. Hoc periculum peccandi evitas, Frater, exacte vota et Regulam observando, de quibus nunc agendum.

(1) Epist. 254, n. 4. P. L. t. 182. col. 460 et seq.

TRACTATUS II

DE OBLIGATIONIBUS STATUS RELIGIOSI EX VOTIS EMISSIS FLUENTIBUS.

1224. — Ratione momenti, materiam obligationes votorum respicientem in tres dividemus sectiones; quarum prima de voto paupertatis, altera de voto castitatis ac tertia de voto obedientiæ.

Claritatis causâ aliquas præmittemus notiones de naturâ voti in genere.

DE NATURÂ VOTI IN GENERE.

1225. — Jam plura de excellentiâ voti diximus, Frater, quando sermo erat de excellentiâ statûs religiosi. Hic accuratius inquiremus: 1. quid sit votum; 2. quotuplex sit; 3. cujusnam virtutis sit actus et 4. quænam sit ejus obligatio.

I. — *Quid est votum.*

1226. — **Definitio:** Votum est *promissio deliberata libere Deo facta de bono meliore et possibili* [1].

Explanatio: *a)* PROMISSIO: Votum non est simplex propositum, sed verus contractus, et importat veram obligationem ad quam vovens sub reatu peccati sese adstringit. Necesse igitur est, Frater, ut discrimen perspicias inter vo-

(1) Codex Juris. can. 1307.

tum et resolutiones, quas homo sub formulâ promissionis coram Deo facit, et quæ unice ad hoc tendunt ut sese perfectius ad Deum amandum exstimulet. Votum enim requirit intentionem formalem sese coram Deo obligandi.

b) DELIBERATA: Deo aliquid vovere actus est humanus. Ast ad omnem actum vere humanum necessaria est deliberatio, seu rei et obligationis consideratio: nemo autem sine sufficienti deliberatione obligatus censeri potest. Quapropter, priusquam vota emittit et statum religiosum profitetur, novitius necesse habet ut debito modo cognoscat ad quid vi votorum teneatur, et ad hunc scopum attingendum novitiatus, saltem ex parte, ab Ecclesiâ præscribitur.

c) LIBERE: Ad votum etiam requiritur liber voluntatis consensus, quo vovens erga Deum se obligare vult ad aliquid faciendum vel omittendum. Inde fieri potest ut metus causa sit cur votum coram Deo non valeat.

Votum ex metu emissum. — 1) Si quis votum emittit ex metu qui ita usum rationis perturbat ut necessaria deliberatio fieri nequeat, voluntas libere non consentit et votum non valet. — 2) Idem dicendum est si quis votum emittit ex gravi metu qui, a causâ liberâ et injustâ, ad suum extorquendum votum sibi incussus est. Nam, etsi hic necessaria deliberatio et consensus adsunt, ejusmodi votum coactum Deo non placet, nec Deus eum acceptare potest, alias videretur injuriam voventi illatam approbare, quod repugnat.

Conditiones ex parte voventis ad votum requisitæ sunt igitur: intentio, deliberatio et libertas.

d) PROMISSIO DEO FACTA. — Alia conditio essentialis voti est ut Deo sit facta et ab eo acceptata. Si quis igitur solum B. M. Virgini aut Sancto vovet, quin ullo modo Deo quidquam promittere intendat, promissio hæc non est votum sed actus hyperduliæ, si fit B. V. Mariæ; et actus duliæ, si aliis sanctis.

e) DE BONO MELIORE: Votum debet esse promissio de bono meliore quam ejus oppositum; cum enim, omnibus attentis circumstantiis, votum fiat ad Deo placendum, ei promitti nequit bonum, quod majus bonum impedit; si enim promittitur minus bonum, eo ipso vovens se obligat ad omittendum majus, quod tunc Deo placere nequit. Unde 1) omne consilium et 2) præceptum, imo 3) omnis res, modo sit honesta, materia esse potest voti.

1) *Omne consilium*, v. g. votum non nubendi, quia hoc votum, ut per se patet, melius est quam ejus contrarium et per consequens Deo est gratum.

2) *Omne præceptum.*— Per votum enim vovens obligationi ex præcepto ortæ, alteram ex religione addit, et proinde actus voti duplicem in se continet bonitatem moralem et meritum, quod certe Deo magis est gratum.

3) *Omnis res honesta.*— Etiam indifferens, modo tamen ex fine vel ex circumstantiis moraliter bona evadat et ad cultum divinum aliquid conferre possit. Exemplo sint qui vovent Romam pergere ad limina Apostolorum invisenda, infantes vestire colore cæruleo in honorem B. M. V., etc.

f) ET POSSIBILI.— Res quæ Deo promittitur possibilis sit omnino necesse est, et non solum physice, sed etiam moraliter, id est, ut sine magnâ difficultate perfici possit. Ad impossibile enim nemo potest sese obligare. Inde non valet votum vitandi omnia peccata venialia etiam semideliberata. Hæc enim, sine speciali Dei privilegio, omnia vitari nequeunt.

II. —*Quotuplex est votum.*

Votum multipliciter dividitur. Habentur potissimum sequentia [1].

1227.— *a)* "Votum est *publicum*, si nomine Ecclesiæ a legitimo Superiore Ecclesiastico acceptetur; secus, *privatum*.

b) *Sollemne*, si ab Ecclesiâ uti tale fuerit agnitum; secus, *simplex.*

c) *Reservatum*, cujus dispensationem sola Sedes Apostolica concedere potest.

d) *Personale*, quo actio voventis promittitur; *reale*, quo promittitur res aliqua; *mixtum*, quod personalis et realis naturam participat."

III.—*Cujusnam virtutis votum est actus.*

1228.— Votum cum ad cultum Dei exhibendum ordinetur, actus est virtutis religionis, et quidem actus latriæ: vovens enim per promissionem Deo offert opus bonum ad eum honorandum et colendum.

Unde executio rei promissæ, cujuscumque sit naturæ, fit etiam actus religionis, et voti violatio opponitur ergo eidem virtuti et continet verum sacrilegium. Si igitur res Deo promissa jam aliunde est Deo debita, v. g. materia voti castitatis, per violationem voti duo committuntur peccata: Alterum contra virtutem religionis, alterum vero contra præceptum ad quod materia voti pertinet. Secus dicendum si res promissa est supererogatoria. In hoc casu violatio voti malitiam contra virtutem religionis tantum continet.

IV.—*Obligatio voti.*

1229.—Votum *a)* semper obligat; etsi *b)* non semper graviter et *c)* aliquando in eo dispensari licet.

a) VOTUM SEMPER OBLIGAT.— Votum est promissio, jam vero:

1) Ex promissionis naturâ oritur obligatio ad rem promissam præstandam.

2) Dein Deus promissiones debito modo sibi factas immediate accipit et urget obligationem implendi ea quæ sibi

(1) Codex Juris Can. 1308, § 1, 2, 3, et 4.

sunt promissa: *Si quid vovisti Deo,* ait S. Scriptura [1], *ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis et stulta promissio; sed quodcumque voveris, redde. Multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Votum igitur, absque restrictione Deo factum est inviolabile; nam etsi aliquando in voto dispensari potest, hi tamen qui potestatem habent a voto solvendi, invigilare tenentur ut jus Dei salvetur, nec possunt juxta eorum beneplacitum et ad hominibus placendum condonare debitum coram Deo contractum.

1230.— *b)* GRAVITAS HUJUS OBLIGATIONIS non semper est eadem pro omnibus votis. Omne peccatum enim contra votum semper est veniale, sed non semper mortale. Gravitas violationis voti pensanda est ex intentione voventis et ex ipsâ materiâ voti.

Ex intentione voventis, votum est veluti quædam lex privata quam vovens in *voto privato* sibi libere imponit. Jam vero vovens sub gravi vel sub levi sese ad votum adimplendum adstringere potest. Dicimus in *voto privato,* nam in voto publico aliter judicandum est. Votum enim publicum non a voventis solum, sed etiam ab Ecclesiæ voluntate dependet, et ad hæc vota Ecclesia exigit intentionem graviter sese obligandi. Sic vota evangelica in Ordinibus religiosis emittenda, et votum castitatis sacris Ordinibus adnexum, postulant intentionem graviter sese obligandi. Graviter peccant igitur religiosi et clerici sacris initiati si vota violant, nisi parvitas materiæ et defectus deliberationis vel consensûs levem reddunt violationem.

Ex materiâ etiam pensanda est gravitas voti. Vovens, uti diximus, in voto privato, materiam gravem sub gravi vel sub levi vovere potest, sed materiam levem tantummodo sub levi; siquidem materia levis non est capax gravis obligationis. Si igitur vovens gravitatem obligationis expresse

(1) ECCL. v, 3-4.

non determinat, pro ratione materiæ sub gravi vel sub levi se obligare censetur.

1231.—*c)* DISPENSATIO VOTORUM.—Etsi vovens tenetur promissionem Deo factam adimplere, nihilominus tamen a legitimâ auctoritate, nomine Dei, hic nexus dissolvi potest, ut theologi docent. Nobis hic sufficit ut dicamus quid sit dispensatio voti, quis dispensare possit et quid ad dispensandum necessario requiratur.

Quid est voti dispensatio? — Dispensatio est obligationis voti remissio nomine Dei facta.

Quis dispensare potest?— Cum vota religiosa summo Pontifici sint reservata, ipse solus in his votis dispensare potest.

Quid ad dispensandum requiritur?— Ad valide dispensandum requiritur justa causa. Si igitur quis voto ligatus auctoritatem falsis motivis decipit, graviter peccat, dispensatio est nulla et nullo jure eâ uti potest. Dispensans enim agit nomine Dei ; ast Deus non censetur dedisse potestatem dispensandi sine causâ justâ.

Naturâ voti in genere explanatâ, jam de obligationibus trium votorum evangelicorum in specie dicendum venit.

SECTIO I

DE VOTO PAUPERTATIS.

1232. — Exemplo Seraphici Patris, modo insistemus peculiari in explanando votum paupertatis.

"Licet tota Regula S. Francisci optima sit atque perfecta, ait Joannes de Fano [1], et tria vota sint (quantum ad eorum observantiam) æqualis obligationis: tamen cognoscens Pater noster S. Franciscus, paupertatem tanto majori egere custodiâ, quanto per sensuales occasiones corruptæ naturæ, (quas sensualitates censeri vult nomine necessitatum): et per occultas periculosasque dæmonum fraudes, manifestæ transgressiones, et damnabiles relaxationes, circa eamdem paupertatem minus possunt considerari, minusque prævideri, aut remediis opportunis curari; ideo tam in Regulâ et Testamento, quam in vitâ et verbis, præ ceteris votis extulit, magnificavit, laudavitque, et cordi suo inscriptam monstravit dignissimam paupertatem; præsertim cum sciret, ex observantiâ ejus aliorum observantiam dependere, et ex transgressione illius dependere ceterorum votorum ruinam."

Ad tale periculum præcavendum agemus: 1. De naturâ paupertatis in genere, 2. de naturâ voti paupertatis, 3. de naturâ paupertatis Franciscanæ, 4. de motivis ad paupertatem Franciscanam impellentibus, 5. de obligationibus paupertatis, ac demum 6. de beatitudine religiosi Franciscani paupertatem fideliter observantis.

---

(1) *Brevis Discursus super observantia paupertatis Fr. Minorum.* Prologus. — Antverpiæ, ex Architypographia plantiniana, 1672.

CAPUT I.

DE NATURÂ PAUPERTATIS IN GENERE.

1233. — Quid paupertas? — Paupertas opponitur divitiis et est carentia bonorum temporalium.

Moralitas paupertatis. — "Neque divitiæ, neque paupertas, neque aliud exteriorum, ait S. Thomas [1], est secundum se hominis bonum, sed solum secundum quod ordinantur ad bonum rationis."

Cum res ita sit, inquirendum est, 1) ad quid divitiæ inserviant, 2) ad quid vero paupertas, ut 3) rationem sic inveniamus cur paupertas divitiis sit anteponenda.

I. — *Ad quid ordinantur divitiæ.*

1234. — Bona temporalia ad duplicem ordinantur finem, nempe ad sustentandum proprium corpus et ad aliis subveniendum [2]. In quantum igitur divitiæ proficiunt ad hunc finem attingendum, hominis bonum reputantur.

"Si vero, ait S. Thomas [3], iste modus excedatur, ut per eas impediatur usus virtutis, non jam inter bona sunt computandæ, sed inter mala. Unde accidit quibusdam bonum esse habere divitias, qui iis utuntur ad virtutem; quibusdam verum malum esse eas habere, qui per eas a virtute retrahuntur, vel nimiâ sollicitudine, vel nimiâ affectione ad ipsas, vel etiam mentis elatione ex eis consurgente."

II. — *Ad quid inservit paupertas.*

1235. — Voluntaria paupertas ordinatur ad hoc, ait Doctor Angelicus [4], ut homo per eam a sollicitudinibus terrenis liberatus, liberius divinis et spiritualibus vacet, "ita tamen

(1) Contra Gentiles, Lib. III, c. 135.— (2) S. Thomas. Ibid. cap. 134.— (3) Ibid.— (4) L. c.

quod cum eâ remaneat facultas homini per licitum modum sustentandi seipsum, ad quod non multa requiruntur."

Unde paupertas, sicut divitiæ, *a)* aliquando laudabilis, *b)* aliquando utilis, *c)* aliquando nociva, *d)* aliquando simpliciter mala est. Hæc omnia apprime probat S. Thomas [1].

a) Laudabilis. — " Paupertas laudabilis est, inquit, in quantum hominem liberat ab his vitiis, quibus aliqui per divitias implicantur.

b) Utilis. — In quantum autem sollicitudinem tollit quæ ex divitiis exsurgit, est utilis quibusdam, qui scilicet sunt ita dispositi, ut circa meliora occupentur.

c) Nociva. — Quibusdam vero nociva, qui ab hâc sollicitudine liberati, in pejores occupationes cadunt. Unde Gregorius dicit in sexto Moralium: Sæpe qui occupati bene humanis usibus viverent, gladio suæ quietis exstincti sunt.

d) Mala. — In quantum vero paupertas aufert bonum quod ex divitiis provenit, scilicet subventionem aliorum et sustentationem propriam impedit, simpliciter malum est; nisi in quantum subventio quâ in temporalibus proximis subvenitur per majus bonum potest recompensari, scilicet per hoc quod homo divitiis carens liberius potest divinis et spiritualibus vacare. Bonum autem sustentationis propriæ adeo necessarium est, quod nullo alio bono recompensari potest: nullius enim boni obtentu debet homo sibi sustentationem vitæ subtrahere."

Hanc doctrinam verbo exponit S. Bernardinus [2] dicens: " Tria sunt pauperum genera. Quidam mundo, et non Deo, ut fures et pauperes impatientes. Quidam Deo et non mundo, ut David et ceteri divites sancti, tam in novo, quam in veteri Testamento. Quidam Deo et etiam mundo, sicut quilibet voluntarius pauper propter Christum. "

---

(1) L. c.— (2) Quadragesimale. *De evangelio æterno* t. 2. Serm. 62, a. 1, c. 1. p. 684. Ed. 1591.

CONCLUSIO MAXIME ATTENDENDA. — Omnes religiosi semper memores sint omnino necesse est conclusionis quam Angelicus [1] ex doctrinâ ab ipso traditâ proponit, nempe: "Quanto modus vivendi in paupertate minorem sollicitudinem exigit, tanto paupertas est laudabilior, non autem quanto paupertas fuerit major; non enim paupertas secundum se bona est, sed in quantum liberat ab illis quibus homo impeditur quominus spiritualibus intendat: unde secundum modum quo homo per eam liberatur ab impedimentis prædictis, est mensura bonitatis ejus. Et hoc est commune in omnibus exsistentibus, quæ in tantum bona sunt, in quantum proficiunt ad virtutem, non autem secundum seipsa."

III. — *Ratio cur paupertas divitiis anteponenda sit.*

1236. — Joannes Peckam [2] Seniori hanc ponit difficultatem: "Cum divitiæ sint Altissimi creaturæ et bonæ sint, quare earum abdicatio tantopere suadetur, cum peccatum census non faciat, sed affectus [3]; cum etiam sanctos quosdam, ut Abraham et Job et plures alios legamus divitiis abundasse."

Audi nunc quid Senior [4] respondeat [5]: "Scito, inquiens, abdicandarum divitiarum esse triplicem præcipuam rationem; *quia scilicet divitiæ habitæ solent superbiam excitare in animo possidentis.* Unde Augustinus [6] dicit: "In divitiis nihil sic cavendum est ut superbiæ morbus. Qui enim non habet pecuniam, non habet amplissimas facultates, non habet unde superbiat." Supple quoad hoc: Unde Apostolus I ad Timotheum [7]: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sublime sapere nec sperare in incerto divitiarum.*

(1) L. c. — (2) *Canticum Pauperis pro Dilecto.* p. 157. Ed. 1905, ad Claras Aquas. — (3) GREGOR., X *Moral.*, c. 30, n. 49. P. L. t. 75, col. 948. — (4) Cfr. S. Bonavent. *Apol. Paup.*, c. 7, n. 24 et 25. — (5) L. c. — (6) Sermo 14 (alias 110 de tempore) c. 1. n. 2. P. L. t. 38. col. 112. — (7) VI, 17.

Secundo, *quia habitæ solent incendere avaritiam;* "crescit enim amor nummi, quantum ipsa pecunia crescit;" ut dicit poëta [1]. Et Bernardus in sermone [2]: "Hæc est ratio fugiendarum divitiarum præcipua, quia sine amore quasi vix aut numquam haberi possunt.

Glutinosus est enim animus hominis et faciliter adhæret omnibus, quæ frequentat." Marci 10 [3]: "*Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt.* Idem dicitur Lucæ 18. [4]"

Tertio, quia divitiæ habitæ perimunt delicias omnes, quæ non possunt pecuniâ comparari. Unde Lucæ [5]: *Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram* hic."

1237. — CONCLUSIO.— "Si quis igitur, concludit Seraphicus Doctor [6], præmissa diligenter attendat, indubitanter advertet, quod quamvis census formaliter seu causaliter non sit in culpâ, est tamen frequens occasio culpæ, distrahendo a bonis et inclinando ad mala.

Propter quod opes a Salvatore *spinis* comparantur [7], et ab Ambrosio [8] *illecebrosæ* dicuntur. Nam cum, sicut ex præmissis apparet, vim rationalem distrahant, irascibilem extollant et concupiscibilem nostram illiciant, non solum sunt illecebris, sed et periculis plenæ... Cum itaque perfectionis sit non solum peccata vitare, verum etiam peccatorum occasiones et bonorum impedimenta ad plenum succidere... liquido claret, quod quamvis possessiones et pecunias habere de se non sit peccatum, sed licitum, est tamen eas abdicare et voluntarie pro Christo eis carere perfectum."

Uti vides, Frater, hæc doctrina omnino concordat cum principiis a D. Thomâ traditis, qui et ipse ait [9]: "Nihil prohibet paupertatem melius esse (quam divitiæ), si per eam ad pecfectius bonum aliquis ordinetur."

---

(1) JUVENAL. *Satyr.* 14, v. 139. — (2) Potius GAUFRID. II *Declam.*, n. 2. P. L. t. 184, col. 438.—(3) X, 24.—(4) LUC. XVIII, 24.—(5) LUC. VI. 24. —(6) *Apolog. Paup.* cap. 7, n. 26. — (7) LUC. VIII, 14. — (8) *De officiis.* Liber II. cap. 26 n. 132. P. L. t. 16. col. 146.— (9) L. c. Lib. III. cap. 135.

CAPUT II.

DE NATURA VOTI PAUPERTATIS.

1338. — Quid est votum paupertatis? — Votum paupertatis est promissio Deo facta de nullâ re temporali, pretio æstimabili, suo arbitrio disponendi.

Uti vides, Frater, accurata hujus voti notio necessario postulat ut optime percipias 1) quid sub voto paupertatis cadere possit, seu ejus objectum remotum, et dein 2) quid de facto pro religioso alicujus instituti sub voto cadat, seu ejus objectum proximum.

ART. I. — De objecto remoto voti paupertatis.

1239. — Objectum remotum, seu id quod sub voto paupertatis cadere potest, sunt omnia bona temporalia et omnia jura in ea. Jam vero hæc potestas circa temporalia exercetur per dominium. Inquiremus igitur 1) de dominio in genere et dein 2) de dominio utili in specie.

§ I. — *De dominio in genere.*

1240. — A) Quid est dominium? — Dominium, quod homines privati in res suas habent, seu jus privatum, est legitima facultas disponendi de re aliquâ tanquam suâ. Dominus igitur alicujus rei nulli hominum, sed soli Deo de usu ejus rationem reddere tenetur, et facultatem habet pro arbitrio suo disponendi de re suâ prout ei placuerit quin lædat justitiam.

1241. — B) Divisio dominii. — Dominium autem dividitur in perfectum et imperfectum. 1) Dominium PERFECTUM est jus stabile pro arbitrio disponendi de rei utilitate et substantiâ, ita ut homini sit facultas disponendi de re universaliter sumptâ tanquam suâ.

2) Dominium IMPERFECTUM est jus disponendi tantummodo vel de substantiâ rei vel de ejus utilitate. Inde dominium hoc dividitur: *a)* in dominium *directum* seu *radicale*, quod est jus in solam rei substantiam, quæ tamen in actualem usum et utilitatem transire nequit. Sic locator dominium directum seu radicale habet domûs locati, sed eâ uti vel frui nequit.

b) In dominium *indirectum* seu *utile*, quod est jus in solam rei utilitatem. Aliis verbis, est facultas percipiendi utilitatem ex re alienâ, demptâ tamen radicali facultate ex quâ homo "dominus" vocatur. [1]

§ 2.— *De dominio utili seu de usu.*

1242.— De usu rerum temporalium.— Variæ inveniuntur dominii utilis species, ut usus, usufructus et servitus. In præsenti de usu tantummodo est agendum.

Quid usus? — Usus est jus temporaneum in re alienâ, eâdem nempe utendi, salvâ tamen ejus substantiâ.

Quotuplex est usus? — Usus dividitur in usum juris et usum facti seu simplicem usum.

Usus juris est jus utendi aliquâ re et ad nutum non revocabile. Sic pastio est usus juris quo quis facultatem habet ducendi pecora in pascua aliena, quod jus dominus pro arbitrio suo revocare nequit.

Usus facti est jus utendi re alienâ sed ad nutum revocabile. Hic usus etiam haberi potest quando rei substantia usu consumitur, ut v. g. in potu et in cibo.

NOTA.— Ne dicas, Frater, rem consumptibilem eo ipso dominium continere. Nam licet usus *juris* ab ejusdem dominio separari nequeat, siquidem ad nutum non est revocabilis, usus *facti* ad nutum est revocabilis et a voluntate concedentis plene dependet. Dominium igitur rei consumptibilis

(1) Cfr. Noldin. *De præceptis* n. 350.— LEHMKUHL, I, 752.

apud concedentem manet donec res ipsa usu consumitur. Hoc clare apparet, ait S. Bonaventura [1], in bonis filii familias, " ubi filius familias usum habet, et tamen proprietas nec ad momentum residet penes ipsum."

1243.— COROLLARIUM.— Ex hactenus dictis sequitur religiosum vi voti paupertatis non amittere *a)* jus honoris et famæ; *b)* neque jus eligendi, præsentandi, conferendi beneficium regulare; *c)* neque jus possidendi sacras reliquias, etsi tamen ratione reliquiarii hæ res sacræ materia paupertatis esse potest; *d)* jus applicandi fructus sacrificii Missæ, nisi forte ratio stipendii intervenit; *e)* neque *per se* manuscripta.

1244. — NOTA QUOAD MANUSCRIPTA. — Dicimus manuscripta per se non esse objectum voti paupertatis, nam hic, juxta Lehmkuhl [2], distinctione opus est. " Video, ait. scripta quæ pro solo auctore aut professore valorem habent, eo quod adjumenta sint in exercitatione vel labore litterario, concionatorio, etc. non esse ex se materiam paupertatis; verum si quis librum manuscriptum confecit, quem prælo committens frugiferum facit aut facere facile potest, certe habet rem communi æstimatione pretio temporali comparabilem. Quare ejusmodi scriptum ex naturâ suâ *materiam* paupertatis esse plane censeo." Huic sententiæ favet decretum S. Congreg. Religiosorum. [3]

ART. II.— De objecto proximo voti paupertatis.

1245.— Objectum proximum, seu id cui religiosus alicujus instituti de facto abrenuntiat, non idem est omnibus religiosis. Videbimus igitur 1) varios modos paupertatem vo-

(1) *Apolog. Paup.* cap. 11, n. 7.— (2) I, n. 523.— (3) 13 Julii 1913.

vendi religiosorum, et 2) dein inspicere licebit quod sit objectum proprium pro unoquoque voto emisso.

§ 1.— *De variis modis paupertatem vovendi.*

1246. — Tres inveniri possunt modi paupertatem vovendi.

Primus modus quo excluditur superfluitas.

Primus modus est cum quis dominium et usum rei ut propriæ retinens, *excludit superflua.* Hæc renuntiatio variis fieri potest modis, vel quum statuitur bona ultra certam quantitatem non posse haberi, vel in proprios usus pauca tantum esse convertenda et redditus ceteros in bona opera esse erogandos [1].

Hic gradus cum jam usum rerum temporalium coarctat et divitiarum periculum ex parte saltem aufert, jam *per se* sufficit ad substantiam religiosæ paupertatis habendam, et hic modus in usu fuit apud primos eremitas. Dicimus *per se*, nam ex Ecclesiæ lege hæc paupertas jam non sufficit ad statum religiosum profitendum.

Objectum proximum in hoc modo paupertatis religiosæ colendæ est: *exclusio superfluitatis.*

1247. — **Secundus modus quo excluditur usus independens.**

Secundus modus est ille quo religiosus abdicat dominium utile, id est, usum independentem, ita ut ei non liceat de ullâ re temporali pretio æstimabili suo arbitrio ita disponere, ut ejusdem usum habeat a Superioris voluntate independentem.

Hic gradus hodie ad essentiam paupertatis religiosæ requiritur [2] et sufficit, atque in usu est in institutis simpliciter professorum et in Ordinibus proprie dictis, durante triennio ante professionem solemnem.

---

(1) Cfr. Vermeersch, t. 1. n. 238.— (2) Cfr. Concil. Trident. Sess. 25, cap. 2 de reform. Regul.

1248.— Tertius modus quo excluditur dominium perfectum. Tertius modus est ille quo religiosus per votum solemne abdicat dominium perfectum seu dominium tam radicale quam utile, omne scilicet jus reale et usum independentem. Cum circa bona temporalia habeatur dominium et usus "sitque usus necessario annexus vitæ præsenti; evangelicæ paupertatis est, inquit Seraphicus Doctor [1], possessiones terrenas quantum ad *dominium et proprietatem* relinquere, *usum* vero non omnino rejicere, sed *arctare*, juxta illud quod dicit Apostolus [2]: *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.*" Ita ut paupertas religiosa pro ipsis, juxta Seraphicum Bonaventuram [3], sit "virtus temporalium abdicativa, bonorum quâ quis nihil proprium habens, sustentatur de non suo" ut Christum nudum nudus sequatur.

1249.— Duæ species perfectæ paupertatis.— Ex modo vero quo quis dominium perfectum abdicat, duplex invenitur species paupertatis perfectæ, ait S. Doctor [4]: "Cum enim duplex sit rerum dominium, privatum scilicet et commune, unum quidem spectans ad determinatam personam, alterum vero ad determinatum collegium; et primum abdicari possit, retento secundo, possit etiam abdicari secundum cum primo: duplex erit secundum hunc duplicem modum paupertatis perfecta professio, *una* videlicet, quâ quis, temporalium omnium privato seu personali abdicato dominio, sustentatur de non suo, id est, non sibi proprio, communi tamen jure cum aliis participato et simul possesso; *alia* vero, quâ quis, omni rerum abdicato dominio, tam in proprio quam in communi, sustentatur de non suo, id est, non sibi proprio, sed alieno, pie tamen et juste ab alio sibi pro sustentatione collato."

---

(1) *Apolog. pauperum*, cap. VII, n. 3.— (2) I TIMOTH. VI, 8.— (3) —*Apolog. paup.* cap. 7. n. 4.— (4) L. c.

§ 2.— *Objectum proximum voti emissi.*

1250.— Ex variis modis paupertatem vovendi clare appareret aliud esse objectum proximum voti simplicis, aliud voti solemnis paupertatis.

A) **Objectum proximum voti simplicis est usus independens rerum temporalium.**— Quid autem in specie vi hujus voti prohibetur:

1) *In institutis votorum simplicium*, erui debet ex eorum Constitutionibus et statutis legitime approbatis [1].

2) *Quid, durante triennio in Ordinibus*, juxta declarationes Pii IX, 12 Junii 1858 *a)* poterunt, uti jam vidimus [2], retinere dominium radicale; *b)* eis interdicta est omnino bonorum administratio, reddituum erogatio et usus; *c)* tenentur vitam perfecte communem ducere, quapropter omne peculium excluditur.

Notandum tamen est in Belgio et Hollandiâ propter jus peculiare [3], religiosos in Ordinibus simpliciter professos posse cum facultate superiorum bona sua etiam administrare [4].

1251.— B) **Objectum proximum voti solemnis paupertatis.**— Est abdicatio dominii perfecti, seu importat universam materiam remotam paupertatis. Unde religiosus sic professus:

1) Renuntiat omni dominio, omni proprietati usuique independenti a superioris voluntate cujuslibet rei temporalis pretio æstimabilis [5].

(1) Cfr. Codex authenticus S. C. Episc. et Regul, 28 Junii 1901: "Normæ secundum quas S. C. Ep et Reg. procedere solet in approbandis novis institutis votorum simplicium". Cap. X prioris partis distincte enuntiat omnia votum et virtutem paupertatis respicientia. — (2) Cfr. n. 1247.— (3) Cfr. infra, n. 1281.— (4) Cfr. Vermeersch, l. c. n. 245, et 343.— (5) Concil. Trident, Sess. 25, de Reform. Regul, cap. 2.

2) Amittit capacitatem ad nova bona acquirenda. Etsi religiosi solemniter professi in universum *sibi* nova bona acquirere nequeunt, conventui tamen acquirere possunt, quatenus illud capax est proprietatis, ad mentem tamen legum Ecclesiæ, juxta illud: "Quidquid acquirit Monachus, acquirit monasterio." Sed, uti diximus supra, Ordo Minoriticus Fratrum de Observantiâ et Capuccinorum proprietatis incapax est. Unde hujus Ordinis Religiosi habendi sunt perinde ac si mortem naturalem obiissent.

NOTANDUM CIRCA PRIVILEGIA.— Cum auctoritates civiles denegant communitatibus religiosis jura proprietatis et possessionis, et modernum jus civile sanctiones juris Ecclesiastici circa effectus voti solemnis proprietatis repellat, idcirco Sedes Apostolica varias indulsit licentias et dispensationes. Sic omnibus Regularibus Belgii atque Hollandiæ utriusque sexûs, etiam qui vota solemnia nuncuparunt, concessit, ut nonobstante voto solemni, possint, utique cum debitâ a Superioribus legitimâ dependentiâ, bona acquirere, retinere, administrare deque eis disponere *ad normam legum civilium* [1].

CAPUT III.

DE NATURÂ PAUPERTATIS FRANCISCANÆ.

1252.— Paupertas franciscana est altissima; nulla enim major rerum temporalium abdicatio esse potest quam illa quam profitentur Fratres Minores. Hoc probat eorum 1) norma in paupertate vivendi a Regulâ præscripta et 2) media eis ab ipsâ imposita ad vitam corporalem sustentandam.

(1) Indultum Leonis XIII, per organ. S. C. pro neg. eccles. extraord. 31 Jul. 1878.—Cfr. P. Vermeersch, o. c. t. 2, p. 78 seq. t. I, n. 243.—P. Victorius, p. 162, seq.—P. Piat, t. 1, P. 3, cap. 2, art. 2, punctum I, q. 268, et seq.

ART. I. — Norma in paupertate vivendi a Regulâ franciscanâ præscripta.

1253. — Regula Minoritica præscribit 1) abdicationem dominii perfecti quoad res temporales 2) non tantum in privato, sed etiam in communi, ita ut 3) bona temporalia quibus utuntur Fratres non ab Ordine, sed a Sede Apostolicâ possideantur; imo 4) præcepto gravissimo ipse usus pecuniarum eis interdictus est.

1254. — 1) ***Abdicatio dominii perfecti.***—*a)* Jam in primo capite Regulæ S. Franciscus declarat, Fratres Minores *sine proprio* vivere debere.

b) In capite sexto Fratribus injungit *perfectam rerum temporalium abdicationem quoad omnes actus civiles in res temporales.* Ait enim: "Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem."

1255. — 2) ***Abdicatio dominii in communi.*** — Regula [1] enim ait: "Tamquam peregrini et advenæ in hoc sæculo Domino famulantes", eis igitur tantummodo relinquitur simplex usus facti rerum temporalium.

1256. — 3) ***Dominium spectat ad Sedem Apostolicam.***— Omnia enim bona temporalia quibus Fratres Minores utuntur non ad Ordinem, sed ad Sedem Apostolicam spectant. Declaratum est "per nonnullos prædecessores nostros Romanos Pontifices, ait Clemens V [2], hanc expropriationem intelligi debere tam in speciali quam in communi, propter quod et rerum omnium concessarum, oblatarum et donatarum quas, et quarum usum, facti scilicet, Ordini vel ipsis Fratribus licet habere, proprietatem et dominium in se et Romanam Ecclesiam receperunt, dimisso ipsis Fratribus in eis tantummodo usu facti simplici."

(1) Cap. 6.— (2) C. *Exivi* a. 8, n. 1.

1257. — 4) ***Præceptum de non recipiendo denarios,*** i. e. nummos, seu monetas ex auro, argento, cupro etc., publicâ auctoritate confecta et signata ut in contractibus pro solutione dentur, vel accipiantur. Seraphicus Pater summopere et super omnia exsecrabatur pecuniam; "Inde, ait Celano [1], illam a principio suæ conversionis præcipue vilipendit, et tamquam ipsum diabolum se sequentibus semper innuit fugiendam. Hæc ab ipso data erat solertia suis: Ut stercus et pecuniam uno amoris pretio ponderarent."

Unde non solum proprietatem, sed et ipsum usum pecuniarum Fratribus suis præcepto gravissimo prohibuit, dicens [2]: "Præcipio firmiter Fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam." *Per se,* i. e. usum habendæ pecuniæ et illius per seipsum recipiendæ ut in aliquos usus sive proprios, sive alienos ad nutum convertatur. — *per interpositam personam*, i. e. suâ auctoritate aliquem substituere ad recipiendam pecuniam in usus proprios convertendam, vel juxta proprium arbitrium expendendam [3].

Art. II. — Media ad vitam sustentandam a Regulâ franciscanâ imposita.

1258. — Cum ex voto et præcepto Regulæ Fratres Minores nil proprii possideant, necesse est ut de non suo vivant. Quare ad necessaria vitæ filiis suis suppeditanda dulcissimus Pater 1) eos ad laborem exhortatur; 2) eleemosynas sponte oblatas eis permittit; 3) his deficientibus mendicationem eis imponit, et demum 4) in casu necessitatis Superioribus recursum ad amicos spirituales injungit.

(1) Leg. II, p. 220. Lege ibidem et pag. seq. exempla contra pecuniam. — (2) Reg. cap. IV. — (3) Cfr. Corduba, Politius, Albertus in cap, IV Reg.

§ 1. — *De labore.*

1259. — Primum medium est labor, sive manualis, sive spiritualis. In *capite quinto Regulæ* S. Pater ait: "Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis ac devotionis spiritum non exstinguant, cui debent cetera temporalia deservire." Et clarius voluntatem suam in suo Testamento manifestat dicens: "Et ego manibus meis laborabam, et volo laborare et omnes alii Fratres mei, firmiter volo quod laborent." Et licet per ipsam Regulam præceptum laborandi non habeatur, per professionem tamen ad laborandum sese adstringunt. Nam, sicut "Superiores peccant, si subditis suis necessaria subministrare non student, sic etiam Fratres peccant, ait Albertus a Bulsano [1], si labores ad se in societate religiosâ pertinentes negligunt." Et Seraphicus Doctor [2] vult ut Superiores eos qui laborare recusant per pœnas ad laborandum adstringant: "Si qui tales sunt, judico arguendos et verberibus puniendos tanquam servos malos et pigros."

Unde, licet ex textu Regulæ appareat S. Franciscum Fratribus suis laborem ad otiositatem vitandam injunxisse, dubitari non potest quin S. Pater ideo quoque eum commendaverit ut, quantum fieri potest, ipsi necessariam sibi sustentationem procurent, et ne per nimis frequentatam mendicationem benefactoribus molesti fiant et per divagationem per mundum Spiritum Dei exstinguant.

§ 2. — *Eleemosynæ sponte oblatæ.*

1260. — Hoc medium ad vitæ corporalis necessaria procuranda proclamat tota vita Seraphici Patris. Celano [3] hanc

(1) Cap. 5, § 67, n. 4. — (2) Epistol. ad Mag. innominatum "De tribus Quæstionibus". n. 9. Op. t. VIII. p, 334.—(3) Leg. 2, p. 224.

ejus tradit sententiam: "Si dominam meam paupertatem complexi fuerint (Fratres), mundus eos nutriet, quia mundo dati sunt ad salutem." Et iterum: "Commercium est inter Fratres et mundum, debent ipsi mundo bonum exemplum, debet mundus eis provisionem necessitatum. Quando ipsi retraxerint bonum exemplum fide mentitâ, retrahit mundus manum justâ censurâ." Possunt igitur Fratres ad victum recipere res temporales, dummodo quoad quantitatem et qualitatem paupertatem non lædant.

§ 3. — *Mendicatio.*

1261. — Mendicatio conditionate a Seraphico Patre præscribitur, ait enim [1]: "Vadant pro eleemosynâ confidenter." Dicimus conditionate, nam ipse in suo Testamento testatur: "Quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad mensam Domini petendo eleemosynam ostiatim." Ad hunc humilitatis actum exemplo et verbo exhortabatur Filios suos carissimos: "Nonnunquam vero seipsum exercitans, ait Thomas a Celano [2], et Fratrum verecundiæ parcens, ipse solus in principio pro eleemosynis discurrebat. Videns autem plures vocationem suam non debite attendentes, semel aliquando dixit: Carissimi Fratres, Dei Filius nobilior nobis erat, qui pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Suo amore viam paupertatis elegimus, non debemus confundi pro eleemosynis ire." [3]

§ 4. — *Recursus ad amicos spirituales.*

1262. — Dulcissimus Pater quantum paupertatis, tantum et caritatis studiosissimus fuit, ait P. Albertus a Bulsano. [4] Probe sciens per laborem, vel per spontaneas oblationes, vel

(1) Cap. V. — (2) Leg. 2, c. 44. p. 227. — (3) Sæpe meditandum est quid Seraphicus Pater de petenda elemosyna doceat. Lege Celano Leg. 2, p. 225 seq. — (4) Cap. 4, § 56.

per mendicationem non omnia obtineri posse quæ Filiis suis necessaria sunt, præcipue ea, quæ ad vestiarium Fratrum et ad curam infirmorum requiruntur, ideo Superioribus præceptum imponit, ut magnâ sollicitudine Fratrum necessitatibus subveniant, dicit enim [1]: "Tamen pro necessitatibus infirmorum, et aliis Fratribus induendis, per amicos spirituales, Ministri tantum et custodes sollicitam curam gerant, secundum loca, et tempora, et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire: eo semper salvo, ut (sicut dictum est) denarios, vel pecuniam non recipiant."

Hic attendas necesse est, Frater, 1) quis nomine amici spiritualis veniat; 2) quid sit recursus ad amicos spirituales, 3) ad quos recursus spectet, 4) et quandonam faciendus sit.

1263. — A) **Quis nomine amici spiritualis venit.**— Variæ inveniuntur personæ erga Fratres Minores benevolæ, quæ diversis nominibus designantur. [2]

a) Interposita persona proprie intelligitur ea quæ ab ipso Fratre denominatur et ipsius Fratris nomine et auctoritate pecuniam recipit, conservat et expendit.

b) Benefactor dicitur ille qui caritate motus ad subveniendum necessitatibus Fratrum denarios offert, vel qui a Fratribus rogatus, eleemosynam non pecuniariam eis largitur.

c) Substitutus est persona interposita, sed ab ipsis benefactoribus designata, ut eleemosynas pecuniarias ad subveniendum necessitatibus Fratrum destinatas recipiat, conservet atque expendat.

d) Syndicus apostolicus est persona interposita, non Fratrum, sed Sedis Apostolicæ, quæ ejus nomine et auctoritate adest Fratribus, denarios et pecuniam recipiens, atque alios dominii actus exercens.

e) Amicus spiritualis vocatur persona spiritualiter amans Religionem nostram, quæ a Fratribus rogata suâ pecuniâ

(1) Reg. cap. IV.— (2) Cfr. Albertus a Bulsano cap. 4, § 57.

vel res necessarias procurat, vel pro jam procuratis, factâ solutione, satisfacit.

Inde patet unam eamdemque personam sub vario respectu nominari posse: persona interposita Fratrum, benefactor, substitutus, Syndicus et amicus spiritualis.

1264.— B) **Quid est recursus.**— In sensu Regulæ, recursus est procuratio emptionis vel solutionis rei necessariæ per amicos spirituales, et locum habet quando amicus spiritualis per preces Fratrum aut per manifestatas eorum necessitates movetur, ut per pecuniam suam, ipsis res quibus indigent provideat, vel pro perceptis solvat.

Ergo toties recursus pronuntiandus quoties dans ex nolente volens redditur, i. e. quoties ejus voluntas movetur ad id quod antea in mente non habuit.

1265.— C) **Ad quos recursus spectat.**— Regula [1] per præceptum affirmativum Ministris et custodibus recursum ad pecuniam imponit, et per præceptum negativum eumdem ceteris omnibus prohibet.

1266.— D) **Quandonam recurrendum sit** tradit Nicolaus III [2] "cessantibus eleemosynis," et quando Fratres rebus indigent statui paupertatis professæ necessariis.

En, Frater, paupertas altissima Ordinis Seraphici. Inquirendum nunc venit quæ sint motiva impellentia ad hanc altissimam paupertatem profitendam.

(1) Cap. IV.— (2) Const. *Exivi*, a. 7. cfr. Textus originales p. 244.

CAPUT IV.

DE MOTIVIS AD PAUPERTATEM FRANCISCANAM PROFITENDAM IMPELLENTIBUS.

1267.— Ad paupertatem altissimam colendam, præter motiva generalia, [1] motus est Seraphicus Pater et moveri debet unusquisque nostrum ob triplicem rationem: 1) propter imitationem vitæ Christi et Apostolorum, ait enim [2]: "Ipse Altissimus revelavit mihi, quod ego deberem secundum formam sancti Evangelii vivere;" 2) propter perfectionem vitæ spiritualis, cum paupertas fundamentum sit perfectionis christianæ. "Hæc vos pauperes rebus fecit, inquit S. Pater [3], virtutibus sublimavit: hæc sit portio vestra quæ perducit in terram viventium;" 3) propter utilitatam societatis christianæ, nam ut Celano testatur [4], S. Franciscus dicere solebat quod Fratres Minores "mundo dati sunt ad salutem," ipsi bonum exemplum, potissimum per paupertatem præbentes.

Jam vero, si paupertas Franciscana conformis est vitæ Christi et Apostolorum, quid *perfectius* quam hanc imitari velle; si vero fundamentum perfectionis christianæ, quid *desiderabilius;* si demum nata est conferre beneficia spiritualia societati christianæ, quid *utilius.* At res ita se habet, nam 1) Christus et Apostoli verbo et exemplo altissimam docuerunt paupertatem; 2) paupertas fundamentum est evangelicæ perfectionis et 3) societati christianæ maxima confert beneficia. Hæc omnia per partes sunt tractanda.

---

(1) Cfr. supra n. 1236.— (2) Testament.— (3) Reg. cap. 6. — (4) Legend. II, p. 224.

Art. I. — De altissimâ paupertate Christi et Apostolorum.

1268. — Quoad modum quo Christus et Apostoli paupertatem servaverunt, magna exorta est difficultas. Evangelium enim testatur Christum et Apostolos loculos habuisse et jus in res temporales exercuisse; sed variis in locis mentionem facit de eorum altissimâ paupertate. Igitur ad rite procedendum, dicemus 1. De modo in paupertate vivendi Christi et Apostolorum, et dein 2. stabiliemus Christum et Apostolos ut fundamenta statûs religiosi altissimam observasse et docuisse paupertatem.

§ I. — *De modo in paupertate vivendi Christi et Apostolorum.*

1269. — Ut difficultas circa modum in paupertate vivendi Christi et Apostolorum rite explanetur, sciendum est, Frater, eos sub duplici respectu considerari posse: *a)* tanquam universalis Ecclesiæ prælati novi testamenti et *b)* tanquam personæ particulares et fundamenta perfectionis religiosæ.

1270. — A) **Tanquam prælati universalis Ecclesiæ:** — Christus habuit dominium et proprietatem juris aliquarum rerum, saltem quoad auctoritatem dispensandi subditis et pauperibus, et etiam loculos, ad instructionem infirmorum et imperfectorum, ut non putarent homines usum loculorum esse illicitum. Quapropter Nicolaus III [1] de conformatione paupertatis franciscanæ ad vitam Christi agens, ait: "Nec his quisquam putet obsistere, quod interdum dicitur Christum loculos habuisse: nam sic ipse Christus, cujus perfecta sunt opera, in suis actibus viam perfectionis exercuit, quod interdum infirmorum imperfectionibus condescendens, et viam

(1) Const. *Exiit* a. 2. n. 2.

perfectionis extolleret, et imperfectorum infirmas semitas non damnaret; sic infirmorum personam Christus suscepit in loculis, sic et in nonnullis aliis infirma humanæ carnis assumens, prout Evangelica testatur historia, non tantum carne, sed et mente condescendit infirmis [1]."

2) *Apostoli* etiam habuerunt proprietatem rerum temporalium quoad auctoritatem dispensandi subditis et pauperibus, ut legitur in Actibus Apostolorum [2].

1271.— B) **Tanquam personæ privatæ et fundamenta perfectionis religiosæ:** neque Christus, neque Apostoli (nisi propter necessitatem, ut imminente passione Christi) ullam proprietatem, ullumque jus in res temporales habuerunt, neque usum loculorum, ita ut paupertas franciscana omnino conformis sit eorum paupertati. Hoc aperte patet ex declaratione Nicolai III [3], quæ approbata est solemniter in concilio Viennensi, et Clementis V [4] qui ait: "Hi sunt illius sanctæ Regulæ professores, quæ evangelico fundatur eloquio, vitæ Christi roboratur exemplo, fundatorum militantis Ecclesiæ Apostolorum ejus sermonibus actibusque firmatur." Quod nunc fusius est exponendum [5].

§ II.— *De paupertate altissimâ Christi et Apostolorum.*

1272.— S. Bonaventura [6] per Sacrorum Doctorum testimonia irrefragabili ratione probat Christum et Apostolos, ut fundamenta perfectionis evangelicæ, altissimam verbo et exemplo docuisse paupertatem.

---

(1) Cfr. n. 1011 ubi de condesc. Xi.—(2) IV, 32 et seq.—(3) C. *Exiit.* Prol. n, 2.—(4) C. *Exivi.*—(5) Cfr. Disquisitio quam fecit Ubertinus a Casale jam Carthusianus, de mandato Joannis XXII et quo audito hic Papa fuit nostro Ordini reconciliatus, revocans omnia quæ contra paupertatem Seraphicam dixerat. Hoc argumentum invenitur apud Cordubam, cap. 6, q. 1. p. 492 sq.—(6) *Apolog. Paup.* cap. 7.

A. QUOAD CHRISTUM. — Non habuit [1] 1) domicilium, 2) calceamenta, 3) loculos, 4) pauperrime vixit et 5) tantummodo simplicem usum rerum temporalium ad vitam temporalem sustentandam retinuit.

1) *Domicilium.* — S. Chrysostomus [2] aperte docet Christum non proprium habuisse hospitium: "Discant illi, ait, qui splendidas exstruunt domos, latas porticus, longa septa, Christum non habuisse, ubi caput suum reclinaret [3]. Quamobrem interrogant illi: *Ubi vis paremus tibi comedere pascha* [4]*?*" — "Sed si Christus habuisset domicilium commune, ait Seraphicus Doctor [5], illud discipuli non ignorassent, sed et Christus loco non caruisset, in quo caput reclinaret et Pascha comederet. Colligitur ergo ex interrogatione discipulorum et hospitii incertitudine, quod Christus domicilium non habuit, nec proprium, nec commune."

2) *Calceamenta.*— Ut verus pauper, Christus discalceatus incessit, juxta quod S. Hieronymus ad Eustochium [6] scribens, ait: "Discipuli sine calceamentorum onere, et vinculis pellium ad prædicationem novi Evangelii destinantur: Et milites, vestimentis Jesu sorte divisis, caligas non habebant quas tollerent. Nec enim poterat habere Dominus, quod prohibuerat servis." Et Seraphicus Doctor hic addit [7]: "Calceamentis igitur Christus ut pauperrimus caruit, vestimentis vero necessariis carere non potuit, volens tamen summæ paupertatis nuditate vitam concludere, nudus elegit in cruce pendere."

3) *Pecunia*: "Illud est omni admiratione et laude ac imitatione dignissimum, quod sic paupertatem Christus tenuit, ait S. Bonaventura [8], ut statum divitum non damnaret, sic etiam habentibus pecunias conformem se reddidit,

b) Objectum vero formale est honestas quæ in eo apparet, ut inferiores a Superioribus regantur, sive is præcipit sive non, modo potestatem præcipiendi habeat, cum Superioris voluntas sit quædam regula subditi [1].

NOTANDUM est, Frater, obedientiam aliquando esse *formalem*, aliquando vero *materialem*. Habetur obedientia *formalis*, quando inferior superiori obedit quia sic agendo ejusdem voluntati obtemperat, vel ejus consilium aut beneplacitum adimplet. Adest obedientia *materialis*, quando ex alio motivo obedit. Si autem motivum est honestum, actus quo sese superioris voluntati submittit, actus est imperatus aliarum virtutum, utpote religionis, caritatis, etc. Si v. g. superiori obtemperaveris ex reverentiâ erga Christum, cujus ille est vicarius, erit actus religionis; si autem quia Christo gratum, erit actus caritatis.

§ II.— *De necessitate obedientiæ.*

1402.— Cum omnis potestas a Deo sit, necessario sequitur 1) inobedientem contra Deum agere 2) etiamsi superiores auctoritate quâ pollent abutuntur, modo tamen nihil contra Deum præcipiant.

1403.— 1. **Inobediens contra Deum agit.**— Cum omnis potestas a Deo veniat, ipse S. Paulus [2] concludit eos qui potestatem constitutam agnoscere recusant, reos esse *a)* peccati et *b)* pœnæ. Ait enim: *Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.*

a) Reus est peccati: " Resistere autem divinæ ordinationi, inquit Angelicus [3], contrariatur honestati virtutis; unde con-

(1) NOLDIN, *De præcept.* n. 280.— Sunt Doctores, ut Lessius l. c. (n. 27) qui ad obedientiam stricte dictam verum superioris præceptum exigunt; alii e contra, uti Lehmkuhl (I. 779) affirmant ad eam sufficere ut superior suam voluntatem etiam sine præcepto manifestet.— (2) ROM. XIII, 2.— (3) Comment in h. l. Lect. I.

tra virtutem agit, quicumque potestati resistit in eo quod pertinet ad ordinem suæ potestatis." Inobediendo, non tantum contra superiores, sed etiam contra Deum peccat homo.

b) Reus fit pœnæ, quam sibi tum a Deo, tum a præsidentibus attrahit.

A Deo. Fieri enim nequit, ut pro suâ justitiâ Deus rebelles impunitos abire permittat.

A Præsidentibus etiam pœnam sibi acquirit inobediens. Ad bonum promovendum et ad malum arcendum superiores a Deo tanquam ejus vicarii accipiunt potestatem. Unde S. Petrus [1] declarat principes missos esse *ad vindictam*, i. e. punitionem *malefactorum, laudem vero bonorum.*

CONCLUSIO.— *Obedientes potestatem timere non debent.—Vis autem non timere potestatem?* ait S. Paulus [2], *Bonum fac, et habebis laudem ex illâ.* Ad hoc enim a Deo sunt instituti ut approbatione ac laude præmiisque subditos suos ad bonum faciendum incitent: *Dei enim minister est tibi in bonum* [3]. Et hæc verba etiam ad malos principes referri possunt, nam ut S. Thomas cum S. Augustino dicit [4]: Etsi enim "mali principes interdum injuste persequantur bene operantes; hi tamen causam non habent timendi, quia hoc ipsum (i. e. injusta persecutio) si patienter sustinent, in eorum bonum cedit, juxta illud S. Petri [5]: *Quis est qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis? Sed et si quid patimini propter justitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis.*" Secus autem *time: non enim sine causâ gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum egit* [6]. Malos enim ex officio principes terrere et punire tenentur, hoc enim eis tanquam Dei ministris incumbit [7].

(1) I PETR. II, 14.— (2) ROM. XIII, 3, 4.— (3) ROM. XIII, 4.— (4) S. THOM. *Expos. in Epist. ad Rom.* Cap. XIII, Lect. I.— S. AUG. *Exposit.* In propos. ex Epist. ad Rom. n. 73, P. L. t. 35, col. 2084, Serm. 13, n. 6, 302 n. 12 etc. P. L. t. 38, col. 110, et 1390.— (5) I PET. III, 13 sq.— (6) ROM. XIII, 4.— (7) Cfr. Cornely, Comment. Epist. ad Rom. in hoc loco.

1404.— 2. Obediendum est, etiamsi Superiores auctoritate quâ pollent abutuntur. — Obedientia humana semper suas habet limites: nemo enim *indiscrete* sese auctoritati subjicere potest, uti infra dicemus [1]. Sed semoto peccato vel peccati periculo, obedientia postulat ut subditus in omnibus licitis superiori imperanti sese submittat, etiamsi modo indebito suum infert imperium. In omni obedientiâ vero non superioris sed Dei voluntati est attendendum.

Audi S. Petrum hanc veritatem docentem [2]: *Servi, subditi estote,* ait, *in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis,* id est pravis, morosis et difficilibus. Aliis verbis, S. Petrus hic docet [3]: "Obedientiam se extendere debere ad patientiam eamque complecti, sicut Christus eam extendit, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Perfectio ergo obedientiæ est patientia, si videlicet patiatur humiliter et hilariter superiorum suorum asperitatem, reprehensiones, jurgia quin et minas ac verbera.

Patientia enim et humilitas, humilisque obedientia sunt duæ alæ quibus evolatur in cœlum."

§ III. — *De honestate obedientiæ.*

1405. — Manifestum est, Frater, obedientiam *per se* cum aliquâ abjectione esse. Nam, juxta Angelicum [4], sicut ignobilius pati quam agere, ita superiori obedire quam gubernare et imperare. Unde, ait, stultum est abjectum propter seipsum assumere. Sed ut optime notat, quandoque abjecta assumere virtutis est, nempe propter adjuncta bona. Jam vero, obedientia justa et discreta magna habet emolumenta; per eam enim: 1) Deus honoratur, 2) hominis libertas ad bonum faciendum perficitur, 3) spiritualis ejus profectus promovetur etiamsi 4) imperfecti perfectis præsident.

(1) Cfr. n. 1416.— (2) I PETR. II, 18.— (3) CORN. a LAPIDE in h. l.— (4) *Contra Gentiles* L. III, cap. 139.

1406. — 1. Deus per obedientiam honoratur. — Hanc veritatem apprime exponit S. Bernardinus [1]: "Subjici alteri ut vicario Dei, et solummodo propter Deum, ait, est summus honor Dei, et quoad aliquid major, quam si soli Deo in personâ suâ homo subderetur. Quod enim aliquis in tantâ reverentiâ habet regem suum quod non solum sibi subjici velit, sed servo suo propter eum, majus est quam si subjici vellet sibi soli."

1407. — 2. Hominis libertas ad bonum faciendum perficitur. — Cum religiosus in omnibus voluntati superioris stare debeat, dicere quis possit eam tollere totam libertatem agendi homini a Deo datam ad bonum utile peragendum. Sed hoc minime verum est, ait S. Bernardinus Senensis [2], nam "non tollit aliquam libertatem ad faciendum bonum: sed potius ad illud promovet. Nam... prælati non habent potestatem in suos fratres contra bonum subditorum, sed solum *in bonum eorum*. Unde in hoc prælati potius sunt servi quam domini."

1408. — 3. Profectus spiritualis promovetur. — Superior pervigilare tenetur pro subdito quasi dormiente secure. Et una de maximis, quas potissimum religiosi habent consolationibus, est, ait Rodericius [3], "quod securi certique sunt, eos superioribus jubentibus obsequendo et parendo recte procedere. Errare quidem potest superior, inquit idem Magister spiritualis, hoc vel illud mandando; tute tamen certus es, te, si quæ mandat exequaris, neutiquam errare; quia a te aliud non exigit Deus, quam an, quæ jussa sunt, sedulo sis diligenterque executus; et hoc respondendo, sufficienter tuam in Dei tribunali causam justificaveris. Non tibi ratio reddenda est, nec rogaberis, num quæ mandata sunt, bona fuerint, vel quid aliud futurum fuisset me-

(1) Dialogus *De obedientiâ*. Editio 1691. Venetiis. t. 3, p. 490. — (2) Ibid.—(3) P. 3, tr. 5, c. 10, n. 2.

lius; hoc quippe ad te non pertinet, nec tuis rationibus accensebitur, soli superiori de eo erit ratio reddenda.

Unde exclamat S. Hieronymus [1]: "O summa libertas (et magna obedientiæ securitas) quâ obtentâ, vix possit homo peccare!"

1409. — 4. **Emolumenta obedientiæ non impediuntur ex eo quod imperfecti perfectis præsident.** — Quod imperfecti perfectis præsident hoc *a)* non fit nisi forte per accidens *b)* et per inferioris obedientiam virtus humilitatis quam maxime refulget. Hæc omnia clare exponit S. Bernardinus Senensis [2].

a) Imperfecti perfectis non per se, sed per accidens tantummodo præsident. — "Non etiam verum est, quod ex hoc sequatur stultos præesse discretis, et malos bonis nisi forte per accidens. Per se enim hoc non sequitur, nisi ex perversitate eligentium prælatos ad hoc malos, aut ex communi miseriâ hujus vitæ, in quâ nullus ordo rerum, aut personarum est ita fixus, aut certus, quod nihil possit pati inordinationis, aut dubietatis. Sicut enim natura per se non intendit, aut facit monstra, seu peccata, immo potius oppositum: sic nec lex hujus obedientiæ per se intendit, aut exigit quod stulti et mali præsint discretis et bonis, immo potius quantum est ex se, intendit et exiget oppositum."

b) Per submissionem perfectorum superioribus imperfectis maxime refulget virtus humilitatis. — Attamen, prosequitur S. Bernardinus: [3] "quando hoc præter ejus intentionem et exigentiam contingit, adhuc superfulget et supervincit obedientiæ bonum, quod est magna gloria obedientiæ, quod majores obediant minoribus, et quod meliores sint prompti subesse imperfectioribus seu malis. Unde super illud, quod Christus Joanni dicit, quando venit ad baptismum [4]: *Sic decet*

(1) *Regula Monacharum* cap. VI, inter opera hujus, sed non est S. Hier. P. L. t. 30, col. 411.—(2) L. c. p. 491.— (3) Ibid.— (4) MATTH. III, 15.

nos implere omnem justitiam, glossa ait, quod perfecta humilitas est, quando superior subditur inferiori, sicut subjecit se Christus Joanni, plus quam quando inferior superiori, aut quam quando æqualis æquali. Quod autem filii, vel juvenes præsint patribus vel senioribus, quando ad hoc ratione discretionis et sanctitatis sunt aptiores, servatâ alias reverentiâ, quæ paternitati et senectuti debetur, non repugnat ordini naturæ, immo potius ordo naturalis rationis hoc exigit. Et licet ordo corporalis generationis, et ordo temporalis hoc non exigant: non tamen obviant ei. Licet etiam prælatus sit in se malus, id est peccator, non tamen in eis, quæ sunt licita et honesta, illi parere est malum. Et in hoc magis refulget virtus humilitatis et obedientiæ bonum. In his vero quæ Deo contraria sunt, nemo alicui hominum parere debet, juxta illud : [1] *Oportet Deo obedire magis quam hominibus.*"

Art. III. — De voto obedientiæ religiosæ.

1410. — Obedientia religiosa a voto provenit. — Peculiare obediendi suis Prælatis debitum in religiosis consurgit ex solo obedientiæ voto, docet S. Thomas. [2] "Ratio est, ait Sanchez [3], quia nihil ultra votum obedientiæ habent religiosi super omnes alios fideles.

Et quamvis jurisdictio concessa sit superioribus religionum in religiosos... ea solum est ad compellendos religiosos ad exsequendum obligationem sponte susceptam per vota... Immo nec ipsi Romano Pontifici ultra obligationem communem aliis ecclesiasticis ad ipsi obediendum, tenentur religiosi obedire, nisi obligatione voti obedientiæ sponte a se ipsis susceptâ." Necesse igitur est, Frater, ut diligentissime attendas 1) naturam et 2) exellentiam voti obedientiæ, atque 3) peccata eidem opposita.

(1) Act. v, 29. — (2) 2 Dist. 44, q. 2, a 3 in ultim. arg. sed contra. — (3) In Dec. L. 6, cap. 2, n. 2.

§ I. — *De naturâ voti obedientiæ.*

1411. — Quid est votum obedientiæ? — Votum obedientiæ est promissio Deo facta obediendi Superiori præcipienti secundum regulam et constitutiones Ordinis vel instituti.

Uti vides, obedientia religiosa 1) dicit Superiorem et 2) habet materiam determinatam.

1412. — I. VOTUM OBEDIENTIÆ RELIGIOSÆ DICIT SUPERIOREM. — Votum obedientiæ non necessario requirit Superiorem: possum enim Deo promittere confessario prudenti obedire quin talis confessarius ex hoc titulo meus fiat superior. Sed votum obedientiæ religiosæ postulat ut religiosi obediant Ecclesiæ in his quæ ad disciplinam spectant perfectionis, et vita cœnobitica dicit Superiorem. Unde vi voti obedientiæ religiosæ religiosus in ordine presse tali obedire tenetur:

a) Hierarchiæ exteriori Ordinis, i. e. romano Pontifici et eis prælatis quibus summus Pontifex potestatem facit, auctoritate pontificiâ, religiosis imperandi. De hâc obligatione sermo erit infra ubi de obligationibus ex legibus Ecclesiæ fluentibus. [1]

b) Hierarchiæ interiori Ordinis, id est superiori sive supremo, medio vel infimo familiæ religiosæ quam professus est religiosus. Et quoad hos superiores inquirendum venit, quænam sit materia quam inferioribus vi voti obedientiæ imponere possint.

1413. — II. VOTUM OBEDIENTIÆ HABET MATERIAM DETERMINATAM. — Duplex invenitur materia voti obedientiæ: remota nempe et proxima. De utrâque est agendum.

1414. — A. ***De materiâ remotâ.*** — **Quid est?** — Materia remota voti obedientiæ est id quod Superior subditis præcipere potest et cui inferior vi voti emissi obtemperare tene-

(1) Cfr, n. 1458 seq.

tur. Agedum hæc materia *a)* non est illimitata, *b)* varia enim semper excluduntur, et *c)* ipsa regula et constitutiones determinant ad quid vi voti subditus teneatur; unde *d)* in obedientiâ religiosâ alia regulariter sunt necessitatis voti, alia vero perfectionis virtutis. Dicimus regulariter, nam *e)* in Ordine franciscano hæc materia est amplissima.

1415. — 1) **Materia voti obedientiæ non est illimitata.** — Religiosus per votum obedientiæ se obligat non ad omnia in mundo possibilia faciendum, sed, ut loquitur S. Bonaventura, [1] ad "faciendum ea quæ in regulâ expressa sunt," et apprime notat differentiam inter ceterorum votorum et obedientiæ materiam. Religioso continentiam et paupertatem voventi, ait, præcipitur abstinere ab omni opere carnali et ab omni opere proprietatis, sed obedientiam voventi "non præcipiuntur omnia, quæ possunt præcipi; ideo non sic arctatur ad obediendum in omnibus, sicut ad renuntiandum omnibus. — Ratio autem hujus est, quia possibile est alicui renuntiare proprietati et etiam satis facile, maxime ubi est possessio habita in communi, sed obtemperare omnibus quæ dicuntur, hoc non tantum est non facile, immo etiam impossibile [2]." Et hoc ex legislatione Seraphicâ probat: "Unde in regulâ [3] beati Francisci, ait [4], simpliciter præcipitur quod illius regulæ professores nihil omnino habent proprium super terram; simpliciter etiam præcipitur perpetuo continere non solum ab actu, sed etiam abstinere a suspecto consortio et consilio mulierum [5], sed non simpliciter præcipitur fratribus suis prælatis in omnibus obedire, sed "in omnibus quæ promiserunt Domino observare, et non sunt contraria animæ et Regulæ suæ."

1416. — 2) **Varia semper a voto obedientiæ excluduntur.** — Indiscreta obedientia quæ, juxta D. Thomam [6], nec obedientia dici debet, nunquam licita est. Unde a voto obedien-

(1) Sent. L. II d. 44, a. 3, q. 2, c. 1014. — (2) Ibid. ad 6. 1014. — (3) Cap. 4. — (4) Ibid. — (5) Reg. cap. 11. — (6) 2. Sent. D. 44, a. 3.

tiæ, ut optime notat S. Bernardinus Senensis [1], excluduntur 1) manifestum peccatum, 2) manifestum periculum peccati, 3) manifestum contagium, i. e. omne quod est contra regulam religionis quam quis professus est.

a) Manifestum peccatum.— Nullus homo superioribus obedire tenetur, ait S. Bernardinus [2], in aliquo quod constet esse peccatum, et liquide apparet ex S. Bernardo [3], ad Adam Monachum hæc verba scribente: " Mala imperantibus non esse parendum, præsertim dum pravis obtemperans imperiis, in quo homini videris obediens, Deo plane, qui omne quod perperam agitur interdixit, inobedientem te exhibes. Valde autem perversum est profiteri te obedientem, in quo nosceris superiorem propter inferiorem, id est divinam propter humanam solvere obedientiam. Quid enim? quod jubet homo, prohibet Deus, et ego audiam hominem, surdus Deo? Nonne sic Apostoli? Clamant quippe dicentes: *Melius est obedire Deo, quam hominibus* [4]."

b) Manifestum periculum peccati mortalis.— " Nullus quippe amans salutem animæ suæ Deique honorem, exponit se scienter alicui gravi periculo peccati mortalis propter quodcumque obedientiæ bonum, ait S. Bernardinus [5]. Quicumque enim hoc facit, manifeste negligit suam salutem Deique honorem, parumque videtur perhorrescere mortalem culpam, cum videamus, quod vix aliquis exponet se periculo alicujus grandis præcipitii corporalis ad imperium cujuscumque præcepti: et si hoc faceret, stultus reputaretur. Et maxime cum Ecclesiasticus [6] dicat: *Qui amat periculum, in illo peribit.*"

c) Contra regulam, seu " manifestum contagium" et impuritas atque corruptio puritatem evangelicæ perfectionis dirimens et labefactans; cum enim regularis prælati imperium

(1) L. c. p. 492.— (2) L. c. p. 498.— (3) Epist. 7 ad Adam Monachum n. 3, P. L. t. 182, col. 95.— (4) Act. v, 29.— (5) L. c. p. 500.— (6) Cap. III, 27.

ad regulæ observantiam ordinatur. Propter observantiam regulæ, tanquam propter finem sui principalem sunt prælati in religionibus instituti; impossibile est, quod ejus præceptum obliget ad aliquid, quod puritatem regulæ dirimat, vel labefaciat. Præterea cum hujusmodi prælati non habeant potestatem præcipiendi, nisi ab ipsâ regulâ, nulla regula veritatis sibi ipsi contradicit, aut sui destructionem vel diminutionem intentat: patet, quod hujusmodi prælati nullam habent ex regulâ potestatem præcipiendi aliquam regulæ impuritatem."

1417.— NOTANDUM.—1° *Quoad materiam in quâ dispensare potest Superior.* "Attendere autem hic oportet, notat Albertus a Bulsano [1], an agatur de materiâ, circa quam prælatus dispensare potest; nam si præcepta talia forent, in quibus prælatus rationabiliter et legitime dispensaret, et dispensando præciperet, talia jam contra Regulam esse cessarent, atque ideo ex obedientiâ perficienda essent."

2° *Quoad libertates Regulæ.*— Idem dicendum de libertatibus Regulæ. "Superiores possunt etiam ea præcipere, ait P. Albertus [2], in quibus a Regulâ libertas conceditur; quia ad Superiores spectat judicare an præstet libertate a Regulâ concessâ uti, vel non."

3° *Quoad actus internos.*—Controvertitur inter auctores actusne mere interni, ut v. g. oratio mentalis, etc., materia sint voti obedientiæ. Alii affirmant, alii vero negant [3]. Quidquid sit, non est consultum ut sub peccato præcipiantur. "Possunt tamen, ait de Lugo [4], actus interni, ut oratio mentalis, examen conscientiæ, esse materia obedientiæ minus rigorosæ, nempe non obligantis sub rigoroso præcepto, sed dirigentis et regulantis actus subditi, quod sufficit ad exercendum actum virtutis obedientiæ circa illa opera, ut explicat Suarez [5]."

(1) C. X, § 175, n. 3.— (2) Ibid. n. 5.— (3) Cfr. P. Piatus, P. III, cap. 2, a. 2 punct 3, q. 312.— (4) *Responsa moralia*, L. 6, d. 7, n. 11.— (5) Tract. 10, L. 4, c. 13, n. 3, et c. 14, n. 16.

1418.— 3) Ipsa Regula et constitutiones determinant ad quid vi voti subditus teneatur.— S. Bernardus [1], de auctoritate abbatis agens, hanc tradit doctrinam: " Non parum prælati præscribitur voluntati, quod is qui profitetur, spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinate secundum regulam ; nec aliam, quam S. Benedicti : ut oporteat eum qui præest, non frena suæ laxare voluntati super subditos, sed præfixam ex Regulâ sibi scire mensuram, et sic sua demum imperia moderari circa id solum, quod rectum esse constiterit ; nec quodlibet rectum, sed hoc tantum quod prædictus Pater instituit, aut certe quod sit secundum quod instituit ; sic se quippe habet professio : *Promitto* non quidem *Regulam*, sed *obedientiam secundum Regulam S. Benedicti*, non secundum voluntatem præpositi." Inde in unaquaque religione materia voti sunt ea omnia quæ in Regulâ sive expresse et directe, sive implicite et indirecte continentur.

Expresse et directe ad Regulam et Constitutiones pertinent ea sola quæ in Regulâ et Constitutionibus statuuntur.

Indirecte et implicite ad Regulam et Constitutiones pertinent, quæ etsi in eâ non exprimuntur, " saltem in universum continentur in eâ, tanquam necessaria ad Regulam observandam. Hujusmodi sunt mutua obsequia, sine quibus bonus religionis status conservari non potest, et quæ pertinent ad pœnas transgressionum regularum [2]. " Jam vero omnia quæ vel expresse et directe, vel indirecte et implicite ad Regulam et Constitutiones pertinent, materia remota sunt voti obedientiæ, et a Superiore imperari possunt, et subditi tenentur vi voti in his omnibus Superiori præcipienti obtemperare, nam hæc omnia vere pertinent ad regulare institutum conservandum [3].

(1) *De præcept. et dispens*, c. 4, 10, P. L. t. 182, col. 866.— (2) SANCHEZ, In dec. L. 6, cap. 2 n. 9.— (3) Cfr. S. Thomas *Quodlib.* 10 a. 10 et in 2 dist. 44, q. 2. art. 3.

1419. — NOTANDUM hic est, ait Sanchez [1], "non tantum teneri religiosum ex voto obedientiæ obedire prælato jubenti quæ peculiaria religionis sunt, sed etiam jubenti præcepta omnibus christianis communia; ut si religiosus jubeatur audire sacrum, et jejunare diebus, quibus id Ecclesia præcipit, quippe hæc pertinent indirecte ad Regulam tamquam præambula necessaria."

A materia voti obedientiæ ordinarie excluduntur:

1) *Nimis heroica* quæ sunt *supra* vel *extra* Regulam, v. g. cura infirmorum pestilentiæ contagione afflictorum; missio ad exteras gentes; mortificationes extraordinariæ.

NOTANDUM tamen est actiones heroicas aliquando implicite in Regulâ contineri et subditus obligari posse ad eas adimplendas: ut si infirmi sunt ejusdem familiæ, vel si extrema est necessitas spiritualis, etc.

2) Plane *inutilia* vel *ridicula*, quatenus *infra* Regulam sunt. "Hujusmodi postulari possunt, ait P. Vermeersch [2], ad exercendam obedientiam, pertinebunt tamen regulariter ad obedientiam perfectam, potius quam ad necessariam." Unde

1420.—4) **In obedientiâ religiosâ alia regulariter sunt necessitatis voti, alia vero perfectionis virtutis.**—Cum religiosus vi voti obedientiæ non ad omnia possibilia adimplenda teneatur, sed tantummodo juxta Regulam professam, sequitur ut obedientia religiosa alia habeat quæ sunt perfectionis, seu quæ spectent ad obedientiam perfectam, alia vero necessitatis, seu quæ spectent ad obedientiam necessariam. Quod optime exponit Seraphicus Doctor [3]: "Aliter loquendum est de obedientiâ exhibendâ prælato a subdito religioso secundum *obedientiæ perfectionem*, ait, aliter secundum *necessitatis obligationem*. Si loquamur de ipsâ secundum *perfec-*

(1) L. c. n. 10.—(2) I, 291 d.—(3) 2 Dist. 44, a. 3, q. 2, c. Op. t. 2. p. 1013.

tionem, sic dicendum est, quod, sicut dicit Bernardus [1], " perfecta obedientia finem nescit ", ut perfectus obediens non solum in his quæ mandat, (sed etiam supra ea quæ mandat) promptum habet affectum ad subjacendum præcepto prælati, desiderans illum imitari qui *humilians seipsum, factus est obediens Patri usque ad mortem* [2]. Si autem loquamur de obedientiâ secundum *necessariam obligationem*, sic habet terminum et mensuram juxta magnitudinem voti emissi. Non enim amplius tenentur obedire suis prælatis, nisi in his " quæ promiserunt Domino observare, et quæ non sunt contraria animæ et Regulæ suæ [3]."

Unde si prælatus aliquid præcipiat quod sit supra votum, subditus non tenetur ad illud implendum."

1421. — 5) **In Ordine franciscano materia voti est amplissima.** — Sunt Ordines religiosi qui per ipsam Regulam vel constitutiones amplissimam videntur præscribere obedientiam. Sic in Societate Jesu, Constitutiones [4] obedientiam præcipiunt in omnibus, in quibus manifestum peccatum non cernitur. In Regulâ Minoriticâ autem [5] præcipitur Fratribus " ut obediant in omnibus quæ non sunt contraria animæ et Regulæ suæ." Hoc in casu ad voti obedientiæ materiam stabiliendam potissimum attendenda est expositio *talium verborum* vel similium a Doctoribus ipsius Ordinis facta. Jam Societatis Jesu Doctores [6] docent hæc verba intelligenda esse " intra fines Instituti et Regularum, ita ut de reliquis mere detur consilium obtemperandi [7]." E contra in Ordine Minoritico Doctores et Expositores semper ab initio Ordinis communiter docuerunt S. Regulæ verba Fra-

---

(1) Libr. *De Præcepto et dispens.* c. 6. P. L. t. 182, col. 868: Nam perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur. — (2) PHILIP. II, 8.— (3) Reg. F. F. Minor. cap. 10.— (4) I. S. J. I, 316 et 374.— (5) Cap. 10.—(6) SUAREZ De rel. tr. 10, l. 4, c. 12, 14; SANCHEZ l. c. c. 2 n. 16; LEHMKUHL, l. c. I, 537; VERMEERSCH I, 292 etc.; *Contra* LESS. L. 2. c. 41 n. 75.— (7) VERMEERSCH l. c.

tres Minores ad altissimam adstringere obedientiam [1]. Et merito quidem:

1422. — *a) Obedientia religiosa*, uti ait S. Bonaventura [2], "habet terminum et mensuram juxta magnitudinem voti emissi." — Si autem, sicut supra diximus et Editores Operum S. Bonaventuræ [3] optime notant, obligatio obedientiæ circumscribitur professione alicujus Regulæ; cum Regulæ et Constitutiones in diversis religionibus sint variæ, recte infertur, quod potestas præcipiendi et obligatio obediendi ad plura vel pauciora extenditur, prout Regula disponit." Ast, Frater, Regula S. Francisci [4] dicit parendum esse "in omnibus quæ non sunt contraria animæ et Regulæ nostræ." Si igitur, ait Politius [5], "obedientia ita magna promittitur, ut nihil excipiat, nisi quod contrarium est animæ et Regulæ, ad omnia utique licita, quæ animæ et Regulæ non sunt contraria, juxta voti magnitudinem tenebitur. "Constat, quod talis universalis obedientia, cum his tantum duobus limitibus dari potest, ut docet Richardus de S. Victore [6]. Potes, inquit, si voveris, nullam obedientiam indebitam tibi facere; si promittis coram Deo, et profiteris coram Prælato tuo obedientiam ad omnia, jam tibi de reliquo nulla obedientia erit indebita. — Atqui magnitudo voti obedientiæ Fratrum Minorum est cum illis tantummodo duobus limitibus (modo non sint contraria animæ et Regulæ). Ergo universalis ad omnia licita est, adeo ut supra eam addi non possit."

1423. — *b) Hanc doctrinam explicite docet Seraphicus Doctor* [7]. "Patet, ait, quod errant qui dicunt, quod in omnibus Religionibus obedientia sit æqualis," simulque obedientiam

(1) Cfr. P. Piatus, P. III, c. 2 a. 2. P. 3 q. 322; Expositores Reg. in cap. 1 vel 10; Quatuor Magistri; Hugo de Dina, Marchantius, Politius, Hilarius Parisiensis, Albertus a Bulsano, aliique multi.— (2) L. c. — (3) Scholion in h. l. t. 2 Operum S. Bonav. p. 1014. — (4) Cap. X. — (5) In h. l. p. 747. — (6) *De sacrificio David.* P. L. t. 196, col. 1039.— (7) Expos. Reg. cap. 1, n. 6.

extollit Fratrum Minorum: "qui nihil sibi obedientialiter impositum possunt repellere quasi transcendens suam Regulam, nisi vergat in suæ animæ detrimentum."

1424. — *c) Hæc doctrina insinuatur ab Angelico Doctore* "pro quo etiam afferri potest, notant Editores Operum S Bonaventuræ [1], quod S. Thomas [2] iisdem fere ac prædicta Regula verbis utitur, ut *perfectam* notet obedientiam, quatenus distinguatur ab *imperfectâ.*"

1425. — B) ***De materiâ proximâ.*** — **Quid est?** — Materia proxima voti obedientiæ est id omne quod legitime a Superiore imponitur, et quod subditus vi voti emissi adimplere tenetur. Dicemus igitur 1) de iis quæ materia proxima amplectitur, et ratione momenti in specie 2) de præceptis Superiorum, et demum 3) quid in dubio sit faciendum.

1426. — 1. ***De iis quæ materia proxima amplectatur.*** — **Quid amplectitur materia.** — 1° IN GENERE: Proxima voti obedientiæ materia unice amplectitur præcepta *stricte talia* quæ regularibus *qua talibus* imponuntur, vi potestatis dominativæ vel jurisdictionis. [3]

Conditiones requisitæ ad præceptum strictum pro religiosis habendum. — *Oportet ut præceptum sit stricte tale*, i. e. in conscientiâ obligatorium ita ut sine peccato omitti nequeat. Unde qui *consueta* Superiorum mandata non observat, non peccat *contra votum* obedientiæ. Dein ut hoc præceptum *imponatur religiosis ut talibus*, i. e. ut ad statum religiosum referatur. Unde religiosus præcepta Dei vel Ecclesiæ violans, reus non fit violationis voti obedientiæ. Quando autem Regula mere idem proponit quod præceptum Dei vel Ecclesiæ, ut apud nos Franciscanos, jejunium ante Resurrectionem Domini, tunc probabiliter tantum datur monitum de officio jam præscripto.

---

(1) Scholion in 2 Sent. Dist. 44, p. 1014. — (2) 2. 2. q. 104, a. 5, ad 3. — (3) P. VERMEERSCH, I, n. 296.

1427.— 2° In specie ergo materia proxima voti obedientiæ necessario sequentia amplectitur: *a) Observantiam Regulæ*, i. e. *Regulam servare secundum vim obligationis in unaquaque religione receptam.* Si Regula, ut Franciscana, obligat sub gravi, graviter peccat religiosus qui eam transgreditur in materiâ gravi, (si leviter obligat, leviter peccat), si nullo modo obligat, nullo modo peccat vi transgressionis, licet ex alio capite peccatum adesse possit. Unde defectum contra constitutiones per se non sunt contra votum obedientiæ.

b) Præcepta justa legitimi Superioris, i. e. Superiori obedire in omnibus quæ in unaquaque religione materia sunt remota obedientiæ, et quæ Superior subdito adimplenda imponit. [1]

1428.— 2. ***De præceptis Superiorum.***— Etsi, Frater, omnia præcepta Superioris subdito legitime imposita, materia sunt voti obedientiæ, nihilominus 1) Superiores ad arbitrium præcepta imponere non possunt; immo 2) raro præcepta imponere debent, et 3) si aliquando ea imponunt, tenentur subdito clare suam manifestare voluntatem.

1429.— 1° **Superiores pro arbitrio præcepta imponere non possunt.**— Duo a Superioribus in præcepto imponendo semper sunt attendenda: *a)* finis eorum superioritatis et *b)* causa cur præceptum sit imponendum.

a) Finis superioritatis est ut Regula et Constitutiones observentur: "Superior, ait Lessius [2], est custos Regulæ et Instituti, non auctor; eique potestas datur ut subditos secundum illam perficiat, non ut ad majora obliget; quævis enim Religio suam vitæ mensuram, suum exercitiorum modum sibi præscriptum habet, qui regulis et constitutionibus cujusque exprimitur, ad quem ut perducatur, instituuntur Superiores." Et hoc etiam verum est in Ordine Minoritico, nam licet *materia remota* voti in Ordine Franciscano sit uni-

(1) P. Piatus, l. c. q. 309. P. Vermeersch, I, n. 296.— (2) L. c. Lib. 2, cap. 41, d. 9, n. 74.

versalior quam in ceteris Ordinibus, *potestas* tamen Superiorum in præcepto imponendo non majori gaudet libertate. Et ut merito notat Corduba [1], S. Pater Franciscus "noluit ut Fratribus imponerentur aliæ virtutes heroicæ, aut aliæ austeritates strictissimæ *notabiliter* vitam evangelicam in Regulâ nostrâ contentam excedentes, aut transcendentes vitam evangelicam perfectis viris communiter imitabilem." Quare priusquam Fratribus obediendi ministris suis præceptum imponit [2], ipsos Ministros monet; ut Fratres suos visitent, moneant et caritative corrigant: *non præcipientes eis aliquid, quod sit contra animam et Regulam nostram.*

b) Justa causa.— Nullus Superior dein aliquid sub præcepto obedientiæ præcipere potest nisi justam ob causam. "Quia nullus Superior, ait Lessius [3], ne Pontifex quidem, potest ad aliquid obligare sub peccato mortali, nisi sit materia gravis, capax tantæ obligationis. *Gravis*, inquam, vel per se, vel ratione circumstantiarum, quæ justam causam sic præcipiendi adferant." Unde

1430.— 2° Superiores raro præcepta imponere debent.— "Per obedientiam raro præcipiendum censuit Seraphicus Pater, dicit Celano [4], nec primo fulminandum jaculum, quod esse deberet extremum." Audi ipsum dulcissimum Patrem [5]: "Ad ensem, inquit, non cito manus mittenda est. Eum vero qui præcepto obedientiæ obedire non festinaret, nec Deum timere, nec hominem revereri." Et B. Thomas [6] his S. Francisci verbis addit: "Nihil verius istis. Nam quid in temerario præceptore auctoritas imperandi nisi gladius in manu furiosi? Quid vero desperatius religioso obedientiam contemnente?"

Quando vero præcipit:

---

(1) Cap. x, q. 2.—(2) Regula cap. 10.— (3) L. c. n. 75.— (4) CELANO. Legenda II, cap. 113, p. 284.— (5) CELANO l. c.— (6) CELANO l. c. p. 285.

3° **Superior clare manifestare debet subdito voluntatem sub gravi obligandi.**— Ad dignoscendum enim Superioris intentionem non sufficit sola materiæ gravitas, siquidem potest etiam in re gravi non obligare nisi ad veniale, vel nisi ad pœnam. Unde apud nos Fratres Minores, prælatorum præcepta tantummodo *sub gravi* obligare censentur quando dantur his vel similibus verbis: *Præcipio, per sanctam obedientiam injungo.* Quando vero tantum dicunt: Fac hoc, vel illud, sub veniali solummodo obligare velle censentur, nisi aliunde de contrariâ præcipientis intentione certo constat [1]. Possunt tamen aliquando adjuncta ejusmodi esse, quæ plane demonstrent Superiorem aliquid vero sensu vetare aut jubere, v. g. si aliter gravis domestici ordinis perturbatio, damnum grave pro domo aut pro aliis sequitur [2].

Sed dices forte, Frater, quid in dubio faciendum?

1431.— 3. ***Quid in dubio faciendum est?*** — **Quid est dubium?** — Dubium in genere est status mentis circa aliquam propositionem quâ mens caret certitudine. Ast, Frater, 1) varia inveniuntur dubia, et 2) in omnibus dubiis certæ regulæ sunt observandæ, quæ sedulo 3) in dubiis circa obedientiam præstandam sunt attendendæ.

1432.— 1) VARIA INVENIUNTUR DUBIA.— Dubium *ratione motivi* est negativum vel positivum. *Negativum* est quando aut nullæ aut leves tantum rationes assentiendi occurrunt; *positivum:* si adest gravis ratio assentiendi, quæ tamen non excludit prudentem errandi formidinem.

Ratione objecti aliud est speculativum, aliud vero practicum.

Speculativum illud est quod versatur circa actionis liceitatem in genere; *practicum* autem quod versatur circa liceitatem actionis hic et nunc ponendæ.

Dubium speculativum est vel juris vel facti. Dubium *facti*

(1) P. PIATUS l. c. q. 320.— (2) Ita expresse Lessius l. c. l. 2, cap. 41, dub. 9; Lugo; *de Poenit.* d. 16, n. 171 et alii, cfr. Lehmkuhl, I, n. 536.

versatur circa rem particularem, v. g. hic cibus estne caro. Dubium *juris* immediate versatur circa legem, aut facultatem aliquid faciendi, aut circa valorem actus, e. g. die dominicâ licitumne est pingere; potestne regularis confessiones monialium audire; ritene breviarium persolverim.

Dubium practicum semper supponit dubium speculativum sive juris, sive facti, atque ex dubio speculativo oritur.

1433. — 2) IN DUBIIS VARIÆ REGULÆ SEMPER OBSERVANDÆ, quæ sunt sequentes:

a) Numquam licet operari cum conscientiâ practice dubiâ.— Qui enim hoc modo operatur, volens actionem, etsi bona est, in malum consentit ideoque peccat. Unde

b) Qui dubitat de liceitate actionis ponendæ, antequam agit, tenetur directe vel indirecte deponere dubium sibique efformare conscientiam rectam. *Directe* hoc intendere potest investigando rationes internas, consulendo libros vel directores, etc.. *Indirecte* vero utendo nempe aliquo principio reflexo: ut v. g. hoc licet, siquidem omnes religiosi etiam timoratæ conscientiæ hoc faciunt.

c) Quod si dubium practicum neque directe neque indirecte deponi potest, actio differenda est, vel si urget agendi necessitas, pars tutior eligenda est, ea nempe quæ stat ad legis observationem, et quæ proinde omne periculum peccandi eâ actione excludit.

1434. — 3) HÆ REGULÆ ETIAM CIRCA OBEDIENTIAM SEDULO SUNT ATTENDENDÆ. — Nam dubium versatur vel circa potestatem Superioris, vel circa honestatem rei.

a) Si versatur circa potestatem Superioris, præsumptio stat pro Superiore, saltem cum res ad genus pertineat in quo constat Superiorem præcipere posse. Si vero graves adsunt rationes suadentes Superiorem nihil in eo genere posse, dici nequit subditum sub peccato eoque gravi ad præceptum adstringi [1].

(1) LEHMKUHL, I, 337.

b) Si versatur circa honestatem rei, dubium est vel negativum, vel positivum. Si est *negativum*, subditus sese simpliciter voluntati Superioris submittat omnino necesse est, ita ut, nisi apparet evidens peccatum, obediat absque ultiore examine [1].

Si dubium *positivum*, si Superior præcipit quod probabiliter est honestum, parendum est, quia præsumptio stat pro rectitudine præcepti ex parte Superioris, et pro obligatione obediendi ex parte subditi [2].

His de materiâ voti obedientiæ dictis, inquirendum superest quomodo hoc votum ceteris excellentiâ præstet.

§ II. — *De excellentiâ voti obedientiæ.*

1435. — *Votum obedientiæ inter omnia religionis vota maximum est*, et juxta D. Thomam [3], triplicem ob rationem: A) quia aliquid majus Deo offert quam cetera vota; B) quia sub se alia vota continet, et C) quia proprie se extendit ad actus propinquos fini religionis. Et merito igitur D) cum S. Matre Ecclesiâ et omnibus Patribus spiritualibus votum obedientiæ præ ceteris extollere possumus.

1436. — A) **Votum obedientiæ Deo offert sacrificium perfectissimum.** — "Nihil majus aut carius habet homo, quam propriæ voluntatis libertatem, seu potestatem vivendi suo arbitrio; quam libertatem religiosus deserit, dum alienæ voluntati penitus se subjicit propter Deum: quod sane majus et difficilius est, quam relinquere opes aut honores, aut carnis oblectationes [4]. Hæc enim sunt bona externa, quæ etiam ethnici interdum propter cognitionem rerum naturalium deseruerunt. At potestas vivendi judicio et arbitrio suo bonum est spiritale et proprium homini, qua homo est, quod nullus unquam philosophus sibi contemnendum

(1) SUAREZ, o. c. Tr. 7, L. 10 cap. 3 n. 8, 9.— (2) P. PIATUS, l. c. q. 315.— (3) 2. 2. q. 186, a. 8 c.— (4) Vide Hieronym. Platum *de Bono relig.* Lib. 2, c. 5.

duxit. Unde D. Gregorius [1]: "Fortasse, inquit, laboriosum non est homini relinquere sua; sed valde grave est relinquere seipsum: minus quippe est abnegare quod habet; valde autem multum abnegare quod est." Itaque hoc ipsum propter Deum relinquere, et abnegare, majoris est perfectionis [2]" Et cum seraphico Doctore [3] concludere possumus: "Nil fragrat ita Domino in odorem suavitatis, quam si mactetur Domino vitulus propriæ voluntatis. [4] Nimirum altissimum est in homine rationalis voluntas. Altissimum ergo est sacrificium, eam totaliter Domino consecrare, non tantum ipsi Deo obediendo, sed homini propter Deum." Unde S. Gregorius ait [5] obedientiam merito victimis præponi, "quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur."

1437. — B) Votum obedientiæ sub se continet alia vota castitatis et paupertatis, et non e contra. — Jam obedientia omnibus christianis communis, virtus est præstantior ceteris moralibus, exceptâ Religione. Nam, ut S. Gregorius [6] apprime dicit: "sola virtus est obedientia, quæ virtutes ceteras menti inserit, insertasque custodit;" et merito, "ex motivo enim obedientiæ, inquit Lessius [7], homo impellitur ad officia et functiones omnium virtutum, (v. g. nunc ad jejunium, nunc ad audiendum sacrum, nunc ad frequentanda sacramenta, nunc ad eleemosynam, et sic de ceteris) per quas functiones illæ virtutes generantur, augentur et conservantur." Sed obedientiæ *votum*, alia vota sub se continet. Nam etsi religiosus tenetur ex vi voti servare castitatem et paupertatem, hæc etiam sub obedientiâ cadunt, ut S. Thomas [8] docet. Itaque sunt quædam religiones in quibus

(1) Homil. 32 in Evang. n. 1. P. L. t. 76, col. 1233. — (2) ALARD. GAZÆUS, *Comm. de cæn. inst. Cassiani*, L. 4, cap. 2. P. L. t. 49, col. 165. — (3) Exposit. in Reg. c. 1. — (4) GREG. Lib. 35, c. 14. n. 28. P. L. t. 76, col. 755. — (5) *Moral.* L. 35, c. 14 n. 28. P. L. t. 76, col. 765.— (6) Ibid.— (7) L. c. L. 2, c. 46, dub. 5, n. 36.— (8) L. c.

nihil aliud quam votum obedientiæ explicite requiritur; ita se res habebant in ordine *Fratrum Prædicatorum.*

1438. — C) Quia votum obedientiæ proprie se extendit ad actus propinquos fini religionis. — Cum regina virtutum omnium sit caritas, certe huic proxima, et simillima est obedientia: siquidem utraque cum Deo conjungit: utraque etiam facit idem velle idemque nolle quod Deus; hoc tantum discrimine, quod caritas per modum amici, obedientia vero per modum subditi, ob quam etiam causam obedientia a theologis forma itidem aliarum virtutum appellatur, quod harum omnium actiones ad unum spectent, ut divina præcepta impleantur [1]. Unde

1439. — D) Cum S. Matre Ecclesiâ et ascetis excellentiam voti obedientiæ præ ceteris votis extollere possumus.

a) Cum S. Matre Ecclesiâ. — Auctoritative Joannes XXII agens de Regulâ Minoriticâ hanc veritatem declaravit [2]: "Magna quidem paupertas, ait, sed major integritas, bonum est obedientia maximum, si custodiatur illæsa: nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo, quos velut effrænes et liberos ditioni alterius humilis jugo propriæ voluntatis adstringit." Et Leo X [3]: "Nos attendentes præcipuum quarumvis religionum fundamentum obedientiam existere, quâ sublatâ, non Religio, sed confusio potius dicenda est."

b) Cum ascetis. — Præter ea quæ de obedientiæ præstantiâ dicta sunt [4] et infra adhuc dicenda manent [5], libet insignem accersere locum e vitis Patrum [6]. Sic ibi legitur: "Narravit aliquis Patrum vidisse se quatuor ordines in cœlo, quorum primus ordo erat hominum infirmorum, et gratias agentium Deo; secundus ordo hospitalitatem sectantium, et instanter ministrantium eis; tertius ordo in

(1) ALARDUS GAZÆUS, l. c. col. 165, et cfr. Lessius: *De justit.* L. 2, cap. 46, Dub. 5. — (2) Extrav. *Quorumdam* de verborum significatione. — (3) C. *Licet alias*, 3 Sept. 1516. — (4) Cfr. n. 1435 seq. — (5) Cfr. n. 1451 seq. — (6) Lib. V Libello 14 et 19. Apud Alard. Gaz. l. c. col. 166.

solitudine conversantium, et non videntium homines; quartus ordo eorum qui ad obediendum spiritualibus Patribus se subjiciunt propter Deum. Utebatur ordo obedientium torque aureâ et coronâ, et majorem quam alii gloriam habebat. Et ego dixi ei, qui mihi ostendebat omnia hæc; quomodo iste ordo, qui parvus est, majorem, quam alii, gloriam habet? Et ille respondens dixit mihi: quia qui hospitalitatem sectantur, secundum propriam voluntatem idipsum faciunt. Similiter et qui in eremo se relegant arbitrio suo de sæculo recesserunt. Hic autem ordo, qui se ad obediendum dedit, omnes voluntates suas abjiciens, pendet ad Deum et ad jussionem Patris spiritualis: propterea et majorem gloriam aliis habet." Et paulo post: "Intendite ergo, filii, virtutis hujus aliquod ex parte vestigium. Obedientia salus est omnium fidelium. Obedientia genitrix est omnium virtutum. Obedientia regni cœlorum inventrix est. Obedientia cœlos aperit, et homines de terrâ elevat. Obedientia angelorum cohabitatrix est. Obedientia sanctorum omnium cibus est: ex hâc enim ablactati sunt, et per eam ad perfectionem venerunt." Unde vides, Frater, voti obedientiæ excellentiam præ ceteris votis et virtutibus moralibus egregie commendari et ab ascetis præclaris elogiis ornari.

Maxima igitur cura adhibenda est ne unquam votum obedientiæ violes.

§ III. — *De peccatis contra obedientiæ votum.*

1440. — Duplex distinguitur, uti jam vidimus [1], obedientia, materialis nempe et formalis. Ast vi voti sufficit obedientia materialis, nam promittimus Deo obedire non ex hoc vel ex illo motivo, sed simpliciter obedire. Dicemus igitur A) de peccatis voto obedientiæ oppositis et B) de eorumdem malitiâ.

(1) Cfr. n. 1401.

A) **De peccatis contra votum obedientiæ.**— Religiosus post professionem peccat contra votum obedientiæ:

1) Quando recusat obedire Superiori præcipienti in materiâ gravi, dummodo Superior velit sub gravi obligare.

2) Quando contemnit simpliciter et formaliter Superioris auctoritatem etiamsi præceptum rem tantum levem spectat, v. g. si respondet: *nolo obedire, nolo facere, non faciam.* Si autem subditus negat obedientiam quia res præcepta ipsi videtur inanis, absona, superflua, contemptus non est formalis, neque peccatum veniale excedit [1]. Illud peccatum non tam in veri præcepti violatione consistit, quam in *potestate* seu *auctoritate contemptâ* [2].

3) Qui in universum *se exuere conatur ex Superiorum dominatu*, v. g. per apostasiam, fugam; illicite procurando suam expulsionem, grave est, quod per se patet [3].

1441. — B) **De malitiis quæ in violatione voti inveniri possunt.**

1. In voti obedientiæ religiosæ violatione plures continentur malitiæ: una contra religionem et altera contra obedientiam. Quia per inobedientiam duplex jus violatur, Dei scilicet et superioris. Si obedientia religiosa "tantum esset promissio humana, ait noster P. Piatus [4], nullum in ejusdem violatione esset sacrilegium, sed tantum infidelitas; et e converso, si esset solum votum sine promissione humanâ, esset tantum sacrilegium; ergo si illud duplex vinculum conjungatur, erit etiam duplex malitia."

1442.— 2. NOTANDUM.— Infidelitas quæ in violatione voti obedientiæ invenitur, mutatur in injustitiam, casu quo inobedientiâ læditur jus religioni per traditionem quæsitum. Obligatio autem quæ ex traditione et ea quæ ex voto oritur, per modum unius facile reputari possunt, quia tam votum

(1) P. PIATUS, I, l. c. q. 319; VERMEERSCH, I, 298. — (2) LEHMKUHL, t. 1, n. 536.— (3) P. VERMEERSCH, l. c.— (4) L. c. I, q. 307, 43.

quam traditio religionis causâ fiunt, et sic opus non videtur duas malitias distinguere [1].

3.— Præterea si Superior utitur potestate jurisdictionis quæ ei competit non vi voti obedientiæ sed, uti vidimus, vi concessionis a Romano Pontifice, efficiet ut ille, qui præceptum ejus violat, etiam reus fiat illius virtutis in cujus materiâ præceptum versatur [2].

Sed dices forte : quomodo sciam Superiorem ita præcipere : Superiorem jurisdictione uti non est præsumendum sed probandum. Oportet igitur ut clare suam manifestet voluntatem. Censebitur tamen jurisdictione uti quando imperat statuendo legem, v. g. per Regulam, et sic in Regulâ varia inveniuntur præcepta vi jurisdictionis imposita. Casu autem quo jurisdictione utitur Superior, censendus est non urgere in subditis obligationem ortam ex traditione, sed eam solam quam ecclesiastica jurisdictio infert [3] ; nisi expresse dicit etiam se præcipere vi voti.

Unde si Superior vi voti obedientiæ subditum obligat v. g. ad chorum obeundum, subditus autem non sese submittit : duplex committit peccatum : sacrilegium et inobedientiam. Si autem præceptum Regulæ violat, v. g. non jejunando feriâ VI, unum tantum committit peccatum, nempe contra temperantiam.

ART. IV. — De virtute obedientiæ.

1443.— Maxime interest, Frater, ut votum sedulo a virtute obedientiæ distinguas : voto enim religiosus sese coram Deo adstringit ad ea implenda quæ ei, ut religioso, a legitimâ auctoritate sub peccato imponuntur ; virtute autem ad majorem tendit perfectionem, et intendit observare non tantum Superioris præcepta sed et consilia, immo et desideria. Dicemus 1) de conditionibus seu dotibus ad perfectam obedientiam requisitis ; 2) de variis virtutis obedientiæ gra-

(1) P. PIATUS, l. c.— (2) P. PIATUS, l. c. 5°.—(3) P. Piatus, l. c.

dibus, et demum 3) de honestate obedientiæ perfectæ, i. e. cæcæ.

§ I.— *De conditionibus ad obedientiam perfectam requisitis.*

1444.— Ad obedientiam perfectam et supernaturalem maxime commendantur tres sequentes dotes: 1) cæcitas, 2) promptitudo et 3) fortitudo.

1445.— I. ***De obedientiâ cæcâ.***— **Ratio hujus nominis.** Ad explicandum modum quo subditi perfecte suis obedianti superioribus Patres Spirituales varias adhibent similitudines. S. Basilius [1] requirit ut perfecte obediens, respectu sui superioris similis sit instrumento inanimi in manu artificis qui eo utitur. S. Franciscus vero eum comparat corpori mortuo [2], et ex Seraphico Patre S. Ignatius [3] mutuatus est exemplum cadaveris. Et uti jam antea notavimus [4], S. Franciscus seipsum respectu sui superioris tanquam cæcum semper habebat: "Vidi jam, inquit [5], cæcum qui unam caniculam ducem habebat itineris." Nomine igitur obedientiæ cæcæ usi sunt Patres Spirituales ad perfectam designandam obedientiam. Unde

Quid est?— Cæca dicitur obedientia pura, perfecta et simplex sine consideratione ad imperfectiones et vitia superiorum, sine discussione aut scrutatione ad causas cur quid præcipiatur; satis est ei ut id quod præcipitur vel proponitur a superiore, qui locum Dei tenet, procedat, nec aliunde constet id per se esse illicitum. De hâc obedientiæ perfectæ dote infra dicemus, ubi de ejus honestate.

1446.— II. ***De obedientiâ promptâ.***— **Quid est?** Obedientia prompta illa est quæ in iis quæ ad religionis exercitia,

(1) Const. Monast. cap. 22, P. G. t. 31, col. 1410.—(2) CELANO, Leg. 2, cap. 112, p. 284.— (3) S. IGNATIUS. *Constitutiones Soc. Jesu*, P. VI, c. 1, n. 1.— (4) De directore spirituali, n. 160.— (5) Celano Leg. 2, cap. 105, p. 278.

vel regularem disciplinam, aut mortificationem spectant, non exspectat strictum præceptum, non differt, non tergiversatur, sed statim superioris adimplet voluntatem [1]. Unde promptitudo hæc *a)* non in omnibus est præstanda et *b)* varias requirit conditiones.

1447.— *a)* Promptitudo non in omnibus est præstanda.— " *Valde notandum est,* ait Lessius [2], non in omnibus hanc promptitudinem exhibendam; sed in iis tantum quæ ad religionis exercitia, vel regularem disciplinam, aut mortificationem pertinent. Si enim prælatura, episcopatus vel aliud munus honorabile imponitur, non est ordinarie laudabile se promptum et alacrem exhibere; sed expedit modeste deprecari, et exspectare etiam præceptum; præsertim si agatur de prælaturâ extra Ordinem suscipiendâ... Ratio est, quia tam multæ dotes requiruntur ut quis sit idoneus ad prælaturam... accedit quod status ille multis expositus sit periculis. " Idem dicendum est quando agitur de dispensationibus circa regularem observantiam, ut optime apparet e vitâ Seraphici Patris et S. Claræ.

OBJECTIO.— Dices forte, Frater, subditum voluntati superioris tanquam Dei sese conformare teneri. Utique, sed voluntas Dei et superioris non est ut prompte in omnibus obediamus, sed tantum quando datur *præceptum,* et etiam extra præceptum in iis quæ ad vitæ directionem et exercitia religionis pertinent; minime vero in ceteris, quæ ad honores spectant vel ad dispensationes. Nam, etsi subditus tergiversando materialiter contra superioris voluntatem agit, formaliter tamen non ei resistit. Hæc resistentia, ut dicit Lessius [3], " placet prudenti Superiori qui etiam hujusmodi declinationem laudare, et celerem acceptationem vituperare consuevit. Facit enim inferior, declinando hujusmodi, con-

(1) LESSIUS, l. c. Lib. 2, c. 44, n. 32. — (2) L. 2, c. 46, d. 5. n. 33. — (3) L. c. n. 34.

sentanee suo statui, sicut et Superior imponendo; quare uterque facit laudabiliter."

1448.— *b)* **Conditiones ut obedientia sit prompta.**— Ad obedientiam promptam juxta Patres Spirituales necesse est, ut subditus 1) sine morâ, 2) sine murmure, sed humiliter et hilariter omnia Superioris præcepta, immo 3) et desideria adimpleat.

1) *Sine morâ*, nam ut dicit S. Bernardus [1]: "Velociter currit sermo Dei [2], et velocem habere desiderat sequentem. Vides cum quantâ velocitate currat ille, qui dicit: *Viam mandatorum tuorum cucurri* [3]. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præripit præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes; totum se colligit, ut imperantis colligat voluntatem." "Obvia sunt exempla, quibus Deus etiam miraculo comprobavit, quam grata sibi existat obedientia sine morâ, ait Neudecker, [4] et de piissimo P. Andrea Caccioli meminit Menologium Seraphici Ordinis nostri ad 3 Junii, quod cum aliquando eidem in formâ et staturâ Pusionis divini appareret Jesus, et illo ipso tempore, quo inter dulcissima colloquia, sanctosque amplexus vir iste pientissimus occupabatur, daretur obedientiæ signum ad chorum, mox relicto Hospite suo, ejusque suavissimâ conversatione, sine ullius momenti dilatione obedientissimus accesserit chorum; redux autem adhuc invenerit Puerum divinum, sed in magis gloriosâ et amabili staturâ, qui et eumdem assecuravit quod promptâ ac celeri suâ obedientiâ ei summe placuerit eâque magis gloriosam et consolatoriam apparitionem promeruerit: addidit placidissime, quod, nisi prompte et abs morâ obediendo ad chorum se contulisset, ipsemet discessisset, et amplius non rediisset."

---

(1) Sermo. 41, de diversis, n. 7. P. L. t. 183, col. 657.— (2) Ps. CXLVII, 15.— (3) Ps. CXVIII, 32.— (4) P. 2, cap. 24, § 2, n. 34.

2) *Sine murmure.— Non ex tristitiâ*, ut monet D. Paulus [1], *aut ex necessitate; hilarem datorem diligit Deus.* Qui enim murmurat, operis boni mercedem saltem ex parte perdit. De murmuratoribus S. Bernardus dicit [2]: "Multos videmus post præcipientis imperium multas facere quæstiones: cur, quare, quamobrem, sæpius interrogare; crebras ingeminare quærelas; quærere: quare hoc præcipit? Unde hoc venit? quis hoc adinvenit consilium? Inde murmuratio, inde verba murmurationem et indignationem sonantia et redolentia amaritudinem. Inde frequens excusatio, simulatio impossibilitatis, advocatio amicorum," et quæso quid meriti adhuc in taliter obedienti apud Deum remanere possit? Unde

3) Et *hæc promptitudo*, ut perfecta sit obedientia, *habenda* est etiam *quoad* Superioris *desideria.* Nam, ut beatus Pater [3] suis discipulis dicebat: "Veram obedientiam fore non solum prolatam, sed excogitatam, non solum imperatam, sed desideratam. Hoc est, si frater fratris prælati subditus non solum audiat vocem, sed comprehendat voluntatem, *statim* ad obedientiam totum se debet colligere ac facere quod eum velle signo aliquo comprehendet."

1449.— III. ***De obedientiâ forti.*— Quid est?**— Obedientia fortis illa est quæ non recusat exequi difficilia, et postquam inceperit, non resiliit ob difficultates occurrentes [4]. Ast *a)* obedientia religiosa indiget fortitudine, et *b)* usque ad mortem strenue obedit, sed *c)* apta habet media ad id perficiendum.

a) **Obedientia religiosa indiget fortitudine.**— In opprobriis, irrisionibus, verbis contumeliosis et similibus "tota pene, imo tota abit monachorum vita, ut vel minimam rerum asceticarum notitiam habenti exploratum est," ait Martene [5]. Unde Petrus Damianus [6] hanc in rem: "Sæpe fra-

(1) II COR. IX, 7.— (2) Serm. 41 de diversis n. 5. P. L. t. 184. col. 656.—(3) CELANO, Leg. I c. 17, p. 47.— (4) LESSIUS, l. c. n. 35.— (5) L. c. P. L. t. 66, c. 385.— (6) Citatur apud Martène, l. c.

ter de cellâ ad cellam jubetur habitaturus abscedere, nec aliquid utensilium quæ suo etiam labore paraverat, permittitur asportare; sæpe optantes in remotione quiescere, ad peragendum opus compelluntur exire... aliquando districtam sibi victûs continentiam indicentes coguntur remissius vivere, volentesque reficere compelluntur e contrario jejunare." Agedum ad in his omnibus constanter obediendum, fortitudine indiget obedientia. Et quidem

b) **Usque ad mortem.**— Obediens usque ad mortem duplici accipi potest modo: 1° *usque ad mortem*, id est toto vitæ tempore, quo sensu S. Bernardus ait [1]: "Est sane quidam obedientiæ limes, secundum tempus, ipsa temporis extremitas, ut is sit terminus obedientiæ, qui et vitæ. Hunc nobis maxime Unigeniti Dei commendat exemplum, qui factus est Patri obediens usque ad mortem." 2° *Usque ad mortem* ut, si necesse sit, obedientiæ causâ ipsam mortem subire, non refugiat. "Uterque sensus optimus est, ait Martene [2], et monachum imprimis decet."

c) **Obedientia religiosa habet media apta ad strenue obediendum.** — Seraphicus Pater filios suos obedientiam docens dicere solebat [3]: "Fratres mei, primo verbo præceptum implete, nec exspectetis iterandum quod dicitur. Nihil enim impossibilitatis causemini, quoniam etsi supra vires ipse mandarem, viribus obedientia non careret."

Unde Seraphicus Doctor [4]: "Quandocumque aliqua gravis obedientia te conturbat, citissime cogita de Jesu, qui, cum esset *Rex regum et Dominus dominantium* [5], *humiliavit semetipsum*, teste Paulo [6]. Dicebat enim [7]: *Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris.*

(1) *De præcept. et disp.* c. 6. P. L. t. 182, col. 868.— (2) S. P. Benedicti Reg. comm. c. 7. P. L. t. 66, c. 385.— (3) CELANO, Leg. II c. 12. p. 209.— (4) Regul. nov. cap. 14, n. 3.— (5) I TIM. VI, 15.— (6) PHIL. II, 8.— (7) JOANN. VI, 38.

Ex hactenus dictis jam clare apparet varios in obedientiâ necessario inveniri perfectionis gradus, qui nunc sunt enumerandi.

§ II. — *De gradibus obedientiæ perfectæ.*

1450. — Etsi inter auctores alii plurimos, alii paucos perfectionis gradus in obedientiâ perfectâ indicant, omnes tamen ad tres sequentes facile reduci possunt.

PRIMUS GRADUS: Perfecte exequi exterius quod Superior præcipit vel desiderat.

SECUNDUS GRADUS: *Voluntatem* suam omnino subjicere voluntati Superioris, ita ut libenter facias propter Deum quidquid ipse mandaverit.

TERTIUS EST: Subjicere *judicium* suum judicio Superioris, credendo id melius esse, vel meliorem exitum habiturum quod ipse jusserit.

Nunc adhuc remanet ut de moralitate obedientiæ perfectæ, i. e. cæcæ, inquiramus.

§ III. — *De moralitate obedientiæ cæcæ.*

1451. — Obedientiam perfectam esse cæcam *a)* eruitur ex Sacrâ Scripturâ, *b)* abunde probatur testimoniis S.S. Patrum et ascetarum, et *c)* ut a S.S. Patribus declaratur, minime sanæ rationi est contraria.

A) **Eruitur ex S. Scripturâ.** — Sacra Scriptura passim nos docet superioribus non secus ac ipsi Deo esse obediendum. *Qui vos audit, me audit,* ait Dominus [1]. Et ad Ephesios scribens Apostolus dicit [2]: "*Obedite dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo,* Ast, Frater, Deo debetur obedientia cæca: "Domino autem perfectam simplicemque atque adeo cæcam obedientiam

(1) Luc. x, 16.—(2) VI, 5.

deberi ab hominibus, ut non quærant cur aliquid eis præcipiatur, contenti quod præcipiatur, nec ullus negare audebit, ait Cardinalis Bellarminus [1], et Scripturarum exempla id manifeste docent. Reprehenditur enim Eva quæ Satanam dicentem *cur* præcepit vobis Deus [2] ? non continuo est aversata, ut notant S. Joannes Chrysostomus [3] et S. Bernardus [4]; Abraham e contrario mirifice laudatur quod jussus egredi de terrâ suâ et migrare in alienam regionem [5], et rursus unicum filium propriis manibus immolare [6], sine ullâ tergiversatione, aut mandati discussione ad obsequium promptum se obtulerit." Unde merito sancti Patres et Ascetæ deducunt cæcam obedientiam superioribus esse præstandam.

B) **De testimoniis S.S. Patrum et Ascetarum.** — Perfectam simplicemque obedientiam, quam cæcam nominamus, "summo consensu Patres docuerunt, ait Bellarminus [7], atque ii præsertim qui variis temporibus aut Ordinum religiosorum duces exstiterunt, aut in iisdem Ordinibus insigniter claruerunt, ut nulla fuerit unquam in Ecclesiâ Dei professio observantiæ regularis, quæ hanc obedientiam non coluerit."

S. Ignatius a Loyola, in suâ epistolâ plus quąm aureâ et omni laude dignissimâ de obedientiâ, doctrinam tradit, non novam sed a S.S. Patribus et Fundatoribus Ordinum religiosorum, potissimum a S. P. nostro Francisco mutuatam, ut optime probat idem Cardinalis Bellarminus [8].

Referemus igitur *a)* aliqua Sanctorum testimonia de obedientiâ cæcâ et *b)* in specie doctrinam S. P. N. Francisci.

a) TESTIMONIA SANCTORUM. — 1) S. Basilius, Ecclesiæ Orientalis lumen et Monachorum parens, perfectam docens obedientiam, hæc habet verba [9]: "Quemadmodum enim

(1) Card. BELLARMINUS. *Tract. de obed.* quæ cæca nominatur cap. 2. cfr. auctarium Bellarminianum. p. 378.—(2) GEN. III, 1.—(3) Homil. XVI in Genes. P. G. t. 53, col. 128.—(4) In serm. de S. Andrea. P. L. t. 183, col. 508.—(5) GEN. XII, 1. — (6) GEN. XXII, 2.— (7) L. c. cap. 3, p. 379.—(8) L. c.—(9) Const. Monast. cap. 22 n. 5. P. G. t. 31, col. 1410.

faber lignarius aut domorum ædificator unoquoque artis instrumento utitur ad suum arbitrium, nec unquam dicet instrumentum non inserviturum se ei usui, ad quem illud adhibet artifex, sed moderatoris cedit manui: sic convenit ascetam velut instrumentum quoddam utile artifici ad ædificium spirituale perficiendum, in omnibus obedire... Et ut instrumentum non sibi ipsi deligit quod faciendum est ad artem juvandam; ita operæ pretium est ascetam non sibi ipsi opera deligere, sed institutionem sui prudentiæ ac gubernationi artificis permittere." Hanc eamdem doctrinam tradit S. Hieronymus in suâ Epistolâ ad Rusticum [1]; S. Augustinus [2], Joannes Cassianus in Institutis Renuntiantium [3], S. Benedictus in suâ Regulâ [4], S. Gregorius, Papa et Ecclesiæ Doctor egregius [5], Joannes Climacus [6], S. Bernardus [7] et quam plurimi alii Doctores et Ascetæ. S. Thomas [8], ait Bellarminus [9], "adeo cæcam obedientiam esse voluit ut ne possibilitatem quidem præcepti discerneret", et Seraphicus Doctor [10] cum S. Gregorio [11] docet quod "non licet subditis discernere, sed statim simpliciter obedire [12]."

Sed præ ceteris S. Pater modo peculiari hanc cæcam filiis suis obedientiam docuit exemplo pariter et verbo.

b) TESTIMONIUM S. P. FRANCISCI ET SOCIORUM EJUS.— Seraphicus Pater de seipso testatur [13]: "Inter alia quæ dignanter pietas mihi divina concessit, hanc gratiam contulit quod ita diligenter novitio unius horæ obedirem, si mihi

(1) P. L. t. 22 col. 1081.—(2) L. 1 de moribus Eccl. c. 31. P. L. t. 32, col. 1338.— (3) P. L. t. 49, col. 162 et 200.— (4) Cap. 5. P. L. t. 66, col. 349.— (5) L. 4 cap. 4 expositionis in 1 L. Regum. P. L. t. 79, col. 243 et sq.—(6) *Scala Paradisi.* Gradus IV. P. G. t. 88, col. 679.— (7) *Tractatus de præcepto et dispensatione.* P. L. t. 182, col. 873 et sq.; Sermo de conversione S. Pauli. P. L. t. 183, col. 364 etc.— (8) 1. 2. q. 13, a. 5, ad 8.— (9) L. c. cap. 3.— (10) Reg. novit. c. 14 n. 2.— (11) Lib. 2 in 1 Reg. c. 4, n. 11. P. L. t. 79, col. 131.— (12) Cfr. etiam Alardus Gazæus comm. Cassiani: *De cœnob. inst.* Lib. 4, cap. 10. P. L. t. 49, col. 162.— (13) CELANO. Leg. II, cap. CXI, p. 283.

guardianus daretur, sicut antiquissimo, vel discretissimo cuiquam. Subditus prælatum suum non hominem considerare debet, sed illum pro cujus est amore subjectus. Quanto autem contemptibilior præsidet, tanto obedientis humilitas magis placet."

1452.— *Descriptio veri obedientis per S. Patrem.*— Socii S. Patris eum quâdam die rogaverunt: " Dic nobis, pater, quæ sit perfecta et summa obedientia. At ille, ait Celano [1], verum describens obedientem sub figurâ corporis mortui, respondit: Tolle corpus exanime, et ubi placuerit pone. Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non réclamare dimissum. Quod si statuatur in cathedrâ, non alta sed ima respiciet; si collocetur in purpurâ, duplo pallescet. Hic, inquit, verus obediens est; cur moveatur non dijudicat, ubi locetur non curat, ut transmutetur non instat." Alterâ vice inobedientem fratrem jussit vestibus spoliari, in altam conjici foveam et humari. Cui cum fratres ad Dei viri monitum terram superinjicerent, cum jam solum caput inhumatum remaneret, accessit pius Pater et ait: " Esne mortuus, Frater? Esne mortuus " Cui ille inobedientiæ pœnitens: Ita, Pater, inquit, jam mortuus sum. " Surge, inquit ille, si vere mortuus es, et prælato tuo, sicut debes, ad nutum illius obedito, nec præcepto in aliquo repugnes, sicut nec homo mortuus in aliquo contradicit. Mortuos, non vivos, ego meos volo sectatores [2]. "

Hanc cœcam diligentissime coluerunt obedientiam primi S. Francisci filii. " Nihil sanctæ obedientiæ præceptis audebant præponere obedientissimi milites, ait Celano [3], qui antequam perficeretur obedientiæ verbum, se ad exsequendum imperium præparabant, nihil scientes discernere in præceptis, ad quæque injuncta, omni contradictione remotâ, quasi præcipites concurrebant. "

---

(1) Leg. II, c. 112, p. 284.— (2) *Opuscula.* Coloniæ, 1849, p. 263.— (3) Leg. I, cap. 15, p. 41.

Jacobus Mediolanensis in suo libello admirabili, cui titulus " Stimulus amoris [1]", de primis franciscanis agens, sequens de eorum cæcâ obedientiâ tradit testimonium: " Hunc (Christum nempe) imitati sunt patres nostri, qui cum prælati essent, se subditos subditis faciebant. Hoc sibi dulce, hoc delectabile, hoc peramabile in his, quæ magis suæ voluntati contraria existebant, in his, quæ ad exterioris hominis confusionem, afflictionem, exinanitionem spectabant, sibi infimis obedire. Non enim curiose librabant, utrum hoc melius esset illo, hoc securius, hoc laudabilius, sicut quidam faciunt causâ fugæ, sed cuncta quæ non essent contra Deum, quantumcumque ardua et vilia, dum cernerent esse secundum prælatorum beneplacitum, adimplebant aviditate maximâ."

1453.— C) **Obedientia cæca minime rectæ rationi est contraria.**— Obedientiæ cæcæ variæ objiciuntur difficultates, quæ omnes facile ad unum reduci possunt caput, ad ejusdem nempe dissensionem cum rectâ ratione. Ast hoc assertum minime valet: Etenim 1) obedientia cæca juxta sensum ab auctoribus intentum est intelligenda; sic autem intellecta 2) excludit prudentiam carnalem, minime vero spiritualem et supernaturalem, et inde 3) subditus in licitis obediendo nunquam capiet detrimentum, etiamsi Superior imperfecte imperat.

1454.— 1. ***Obedientia cæca juxta sensum ab auctoribus spiritualibus intentum intelligenda est.***— " Cum cæcitas in privatione visûs consistat, et per metaphoram ad spiritualia translata sit, ait Suarez [2], certum est non in eo sensu transferri, ut significet privationem omnis cognitionis et judicii... Quis enim dubitare potest, prosequitur præclarissimus auctor, quin homo non ut brutum, vel stolidus obedire debeat, sed ut homo, qui rectâ ratione utatur." Sensus igitur obedientiæ cæcæ recte intelligendus est. In similitu-

(1) Cap. 12.— (2) *De Relig.* tr. 10, L. 4, c. 15, n. 26.

dinibus enim, ut optime notat Bossuet [1], non omnimoda adæquatio quærenda est, sed proportionaliter ad assumptum cui deserviunt; secus omnia destrues. Ast omnis obedientia naturâ suâ aliquid simile habet homini mortuo, et a fortiori homini cæco. Habet autem quamdam mortis similitudinem conditio servitutis, ait S. Thomas [2], unde et mors civilis dicitur. Vita enim in hoc maxime manifestatur, quod aliquis movet seipsum: quod autem non potest moveri nisi ab alio, quasi mortuum esse videtur. Manifestum est autem quod servus non a seipso movetur, sed imperio domini. Unde homo in quantum servituti subjicitur, quamdam mortis similitudinem habet. Unde dicta sanctorum de obedientiâ cæcâ minime sunt cavillanda [3].

1455.—2. ***Obedientia cæca expellit prudentiam carnalem, minime vero spiritualem et supernaturalem.***—*a) Excludit prudentiam carnalem.* Hoc apprime exponit Suarez [4]: "Cum enim obedientia sit perfectissima virtus, non minus requirit ad suum perfectum actum ducem prudentiam, quam aliæ virtutes morales; sed hoc est ei proprium, quod judicium prudentiale dirigens illam fundatur magis in extrinseco principio et judicio Superioris, quam in proprio: et ideo quatenus excludit proprium, dicitur cæca; excludit autem proprium, quatenus vitiosum aut imperfectum est, non quatenus dicit omnem usum proprii intellectûs." Aliis verbis, obedientia tantummodo est cæca, quatenus supposità certitudine de legitimitate præcipientis et de legitimitate

(1) *Etats d'oraison*, L. 8, n. 15: "Il faut réduire les comparaisons dans leurs justes bornes et c'est tout détruire que de les pousser à toute rigueur."— (2) Opuscul. 18, *de perfect. vitæ spirit.* cap. X.— (3) "*Perinde ac cadaver!* Celui qui a prononcé cette parole savait ce qu'il disait, et il importe peu que les gens de littérature s'amusent de ce qu'ils ne peuvent comprendre. Nous rirons d'eux à notre tour, s'ils pensent que leurs moqueries vont nous faire abandonner une maxime qui est la recette avec laquelle on a fait les saints depuis dix-huit cents ans." L. VEUILLOT, *Mélanges.* T. I, p. 509.— (4) L. c. n. 27.

præcepti, excluditur prudentia carnalis quâ homo aversatur ea quæ naturæ lapsæ displicent, et ideo studet invenire rationes non obediendi præceptis ingratis. Sed

b) Minime excludit prudentiam spiritualem et supernaturalem.— Etenim tres superiores semper sunt satisfaciendi, ut P. Balthazar Alvarez suos novitios docuit: Deus, homo qui ejusdem tenet locum, et ratio; etsi duo ultimi semper ad Deum reducuntur, cujus voluntas et dispositiones esse debent nostra regula et lex in ordine naturali, supernaturali et in ordine politico [1]. Et dictum allegat Fr. Joannis Ximeno coadjutoris S. J., qui de his tribus superioribus loquens, dicere solebat: Deus in cœlo, capitulum in Ecclesiâ, ratio in domesticâ æde; sed hi tres unum faciunt: nam Deus solus semper gubernat, vel per seipsum, vel per alios [2].

Unde ad perfecte obediendum omnino necesse est ut subditus oculos habeat lynceos. Oportet enim ut Deum in Superiore videat, quin defectum præcipientis examinet, utilitatem rei præceptæ investiget, immo ut aliquando sua dubia Superiori præcipienti exponat; nam, ut Bernardus a Bessa [3] merito ex S. Benedicto [4] notat: subditi "si quid... grave vel impossibile forte injungitur, suscipiant quidem cum omni mansuetudine jubentis imperium. Quod si omnino suarum mensuram virium pondus excedat, impossibilitatis suæ causas ei qui præest, patienter et opportune insinuent, non superbiendo, vel contradicendo, vel alias levi murmure

(1) *Vie du P. Balthazar Alvarez*, S. J. par le vénérable P. Louis du Pont, traduite en Français par le P. Marcel Bouix, Paris 1873, chap. 21 p. 233: "Souvenez-vous que vous avez toujours trois supéreurs à satisfaire: je veux dire Dieu, l'homme qui tient sa place, et la raison; bien que les deux derniers se réduisent à Dieu, dont la volonté et les dispositions doivent être notre règle et notre loi dans l'ordre naturel et surnaturel, comme dans l'ordre politique."—(2) BALTHAZAR, l. c. "Dieu dans le ciel, le chapitre dans l'Eglise, la raison au logis; mais les trois ne font qu'un; car c'est toujours Dieu seul qui gouverne; soit par lui-même, soit par les autres"—(3) *Specul. discipl.* pars I, c. n. 3.—(4) Regul. c. 68, P. L. t. 66, col. 917.

resistendo. Si adhuc Superior in suâ manserit sententiâ, ita sibi noverint expedire et ex caritate, de adjutorio Dei confisi, obediant."

Sed dices forte, Frater, sanctos semper in omni re etiam extraordinariâ obedivisse. Sed sciendum est varia exempla, quæ de sanctorum obedientiâ afferuntur, magis esse miranda quam imitanda. Superiores qui sanctis res extraordinarias præceperunt, *divino instinctu* id fecerunt, ut subditi constantiam, devotionem et obedientiam probarent, et aliis proponerent in exemplum, et meritum obedientiæ apud Deum omnibus palam facerent: sancti vero eodem spiritu impulsi, tanquam sibi divinitus imperatum fuisset, sine morâ et hæsitatione voluerunt obtemperare. Quod constat ex eo quod omnipotens Deus hanc eorum simplicem et promptam obedientiam stupendis miraculis comprobavit et confirmavit [1].

1456. — 3. ***Subditus in licitis obediendo nunquam capiet detrimentum.*** — Hæc conclusio ex doctrinâ hactenus traditâ clare patet, Frater. "Non enim errat qui sequitur regulam, ait Cardinalis Bellarminus [2], erraret potius si non sequeretur. Et potest fieri ut subditus aliquid inutiliter operando obedientiæ causâ, multum apud Deum mereatur, qui utiliter operando, sed contra obedientiam, peccet. Inutiliter profecto et perperam agebat, si rem ipsam per se consideremus, bonus ille novitius Franciscanus qui, jubente sancto Francisco, caules plantabat, ordine converso; nec minus ociose beatus ille Joannes qui per integrum triennium lignum quoddam aridum ad Abbatis imperium irrigabat. Uterque tamen, quia regulam obedientiæ operando sequebatur, rectissime agebat, nec sine spe mercedis apud justum

(1) Ita Alardus Gazæus, *Comment. Cassiani cœnob. Inst.* P. L. t. 49, col. 187. — (2) Brevis demonstratio quod ex constitutionibus et praxi Societatis non colligatur Præpositum Generalem errare non posse, contra calumnias J. Vincentii. l. c. p. 301 sq. in fin.

judicem Deum. In exercitu, si forte imperator per imprudentiam peccet, non reprehenduntur milites qui illi parent, etiamsi ob peccatum imperatoris victoriam non consequantur. Quod idem in opificiis aliisque rebus omnibus cernimus ; semper enim liber a culpâ est qui superiori suo obedientiam præstat, nisi noverit id quod agit altiori judici non placere."

Nemo igitur sanctorum Patrum et Ascetarum docet Prælatum non posse errare, quod falsum esset, sed subditum non posse errare dum legitimo prælato in his quæ non sunt contra Deum obedientiam exhibet [1].

1457. — CONCLUSIO. — Ex notione obedientiæ religiosæ clare apparet, Frater, subditum in meliori esse conditione quam prælatus. Unde

1) *Curare tenetur ne aggravet onus superioritatis, sed ut prælatus cum gaudio officium suum adimpleat et non gemens.* "Quantumvis honoris, reverentiæ et obedientiæ deferas præposito, nunquam onus et periculum quod ipse pro te suscepit, adæquabis, ait Cornelius a Lapide [2]. Ipse enim onus et curam animæ tuæ, omniumque et singulorum subditorum suorum gerere debet, pro eisque æternæ mortis periculo se exponit, singulorum enim probitas et salus ab eo exigetur in die judicii. Cum tantum sit onus præpositi, prompte illi obedi, ne sis dyscolus, et inobediens onus ejus aggraves, sub quo ipse gemat, dum cogitat, quod pro tuâ inobedientiâ et malitiâ Deo rationem reddere debebit. Vide quantum sit onus pastorum et rectorum, ut non sine causâ dixerit Chrysostomus [3] hic : "Miror si potest aliquis rectorum salvari," quis jam hunc honorem, immo onus et periculum appetat vel ambiat?" Ast obediens, leve onus facies superiori et in tuâ obedientiâ et profectu spirituali gaudebit.

---

(1) Cfr. Bellarminus. l. c.—(2) HEBR. XIII, 17. Comment. in hoc loco· — (3) Homil. 34 ad Hebræos, P. G. t. 63, col. 233.

Dein 2) subditus caveat, ut Seraphicus Doctor dicit [1], *ne unquam per se vel per alios obedientiam extorqueat* " publice vel occulte, quia talis non dicitur humiliter obedire, sed superbe propriam voluntatem facere." Et suam sententiam testimonio S. Bernardi [2] roborat: " Quisquis aperte vel occulte satagit, ut quod habet in voluntate, hoc ei pater spiritualis injungat, *ipse se seducit*, si forte sibi quasi de obedientiâ blandiatur; neque enim in eâ re ipse prælato, sed magis ei prælatus obedit." — Caveat ergo talis, concludit Seraphicus Doctor, quia dicit idem Bernardus [3]: " Nihil ardet in inferno nisi propria voluntas, Tolle, inquit, propriam voluntatem et non erit infernus." Cave igitur, ut nunquam in beneplacitis tuis perficias voluntatem tuam, maxime discordem a voluntate prælati.

(1) Reg. Nov. cap. 14 n. 2.— (2) Serm. 35 De Divers., n. 4. P. L. t. 183, col. 636; allegatur GAL. VI, 3. — (3) Serm. 3 In tempore resurrectionis, n. 3: " Cesset voluntas propria, et infernus non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in propriam voluntatem?" P. L. t. 183, col. 290.

TRACTATUS III

DE OBLIGATIONIBUS EX LEGIBUS ECCLESIÆ FLUENTIBUS.

1458. — Religiosi, uti jam diximus [1], vi voti tenentur non solum hierarchiæ interiori, sed et exteriori Ordinis præstare obedientiam, et Fratres Minores ex intentione sui Fundatoris ad hanc subjectionem adstringuntur modo omnino peculiari.

Inquirendum igitur hic esset de legibus ecclesiasticis statum religiosum respicientibus; sed cum hæc materia directe ad Canonistas spectet, agemus tantummodo 1) breviter de legibus præcipuis quas Ecclesia ad disciplinam religiosam in tuto collocandam condidit, et dein 2) insistemus de cultu Ordinis Minoritici erga Romanam Ecclesiam.

CAPUT I.

DE PRÆCIPUIS LEGIBUS ECCLESIASTICIS STATUM RELIGIOSUM RESPICIENTIBUS.

1459. — Præter dispositiones juris communis quibus status religiosus definitur [2], multiplices adhuc inveniuntur leges ad obligationes religiosorum spectantes, sed potissimum sequentes tres: 1) habitum religiosum deferendi, 2) divinum officium recitandi, et 3) servandi clausuram.

(1) Cfr. n. 1412. — (2) Cfr. v. g. tit. 31, 34, 35, 36, 37, 50; lib. 3 Decret. Sess. 25 Concil. Trident. *De Regularibus* etc.

1460. — 1. De obligatione habitum religiosum deferendi. — Regulares in universum proprium religionis habitum ex Constitutionibus habent [1], et S. Mater Ecclesia [2] hunc deferre jubet ut signum propriæ Religionis protestativum [3]. Etsi ob præsentem et instantem necessitatem religiosus ad breve tempus habitum *deponere* potest, v. g. ad eumdem purificandum, aut ad balneum ingrediendum; illum *dimittere*, i. e. ad tempus notabile assumere vestem suo Ordini non competentem, grave est peccatum, cui adnectitur excommunicatio [4].

De significatione et utilitate vestis religiosi jam antea diximus [5].

1461. — 2. De lege clausuræ. — Ad præcavenda scandala, arcenda pericula castitatis et spiritum mundanum, potissimum tamen ad fovendum spiritum internum regularemque disciplinam, jam cum ipsis exordiis vitæ cœnobiticæ introducta est clausura monastica, quæ dein ratione consuetudinis, decretorum Conciliorum et R. R. Pontificum, vim juris positivi acquisivit [6].

Quid est? — Clausura duplici accipi potest modo: formaliter et materialiter.

Formaliter, clausura est lex prohibens regularibus egressum indiscretum, extraneis vero temerarium ingressum.

Materialiter, clausura designat spatium quod huic duplici prohibitioni subest, ideoque septis vel muro circumdari debet, ita ut omnis accessus liber extraneis præripiatur [7]. De egressu e monasterio sermo fuit, ubi de conversatione

(1) Theatini, Barnabitæ, Patres S. J. habitum clericalem regionis ubi vivunt, gerunt. — (2) C. 15. *De vita et honestate clericorum*, c. 2 *ne clerici vel monachi* etc. in 6; Conc. Trid. S. 25 Regular. 19. — (3) P. Piatus, t. 1 P. III, cap. 3, a. 1, q. 334.—(4) C. *Ut periculosa*, 2. *Ne clerici vel monachi* etc. in 6.—(5) Cfr. n. 298 seq. cfr. etiam Dorothæus, P. G. t. 88, c. 1631 sq.; Cassianus, P. L. t. 49, col. 64 sq.—(6) Cfr. P. Piatus, t. I, P. 3, cap. 3, art. 3, p. 1 q. 374 seq.; P. Steiger, p. 211.— (7) Cfr. P. Piatus l. c.

externâ [1], de ingressu vero ubi de "cautionibus omnibus regularibus jure communi præscriptis [2]."

1462. — 3. **De lege divini recitandi officii.** — Recitatio divini officii considerari potest dupliciter: choralis scilicet et privata.

Recitatio choralis. — Regulares qui ad chorum destinantur, vi consuetudinis et potissimum legis ecclesiasticæ ad recitationem divini officii in choro obligantur [3]. Hæc obligatio est *realis* et *gravis* et directe afficit ipsam communitatem, i. e. omnes etiam *simpliciter professos* [4]. Unde qui caput est communitatis præcipue curare debet hujus oneris solutionem.

Recitatio privata. Post professionem solemnem. — Regulares omnes choro destinati, etiamsi in sacris non sint, et qui in choro non satisfecerint, tenentur ad recitationem divini officii. Hæc obligatio eis ex lege ecclesiasticâ incumbit et Fratribus Minoribus etiam ex præcepto Regulæ [5].

De modo divini recitandi officii jam diximus ubi de instrumentis ad voluntatem nostram divinæ conformandam [6].

1463. — NOTANDUM QUOAD MODUM DIVINI PERSOLVENDI OFFICII. — Hic attendendum est, Frater, tum ad actus interiores et exteriores.

1) *Quoad actus interiores* seu *spiritum* quo divinus cultus peragi debet, religiosi et clerici tenentur omni quâ par est devotione et reverentiâ divinum absolvere officium omnesque sacræ liturgiæ actus. Hoc abunde apparet ex antea dictis [7]. Immo cum divinum officium sit tantummodo "quasi pretiosum quoddam involucrum, pretiosiorem condens thesaurum [8]", nempe sacrificium missæ, et hoc sit

(1) n. 326. — (2) n. 1371; cfr. quoad historiam Alardus Gazæus in cap. 4 Coll. Cass. P. L. t. 49, col. 1288-1294.— (3) Cfr. P. Piatus, I P. 3. cap. 3, art. 2, p. 1, q. 346 seq.— Codex Juris Can. 610, § 1.—(4) Decr, *Perpensis* n. 7. 3 Maii 1902.— (5) Codex Juris Can. 610 § 3. Regul. cap. 3; Decl. Clementis V, c. *Exivi.*—(6) Cfr. n. 179.—(7) Cfr. n. 172.— (8) D. WOLTER op. c. p. 116.

finis et centrum totius Religionis cultûsque divini, religiosi et clerici omnes curare tenentur non tantum ad *sacrificium laudis*, sed et omnes vitæ spiritualis actus ita instituendos et ordinandos ut omnes in hunc sacrum convergat sacrificium. Quamobrem valde peroptandum est ut *ordinarie* materiam suarum meditationum eligant juxta S. Liturgiæ ordinem. Dicimus *ordinarie:* dispositiones enim personarum et variæ aliæ circumstantiæ etiam attendendæ sunt, uti jam supra [1] notavimus.

2) *Quoad actus exteriores*, i. e. *cantum ceterasque ceremonias* necessario facienda est distinctio. Ritus quo religiosi diversorum Ordinum religiosorum Deo exhibent cultum exteriorem hodie ab Ecclesiâ approbatus sit, oportet. Ast Ecclesia non eamdem omnibus imponit liturgiam. Religiosis qui vi vocationis ad cultum exteriorem Deo exhibendum deputantur, splendidiorem imponit ritum; ceteris vero, qui ut Fratres Minores vitam ducunt apostolicam, simpliciorem ritum approbat [2]. Unde unaquæque Religio suâ liturgiâ contenta sit, omnino necesse est.

CAPUT II.

DE CULTU ORDINIS MINORITICI ERGA ECCLESIAM ROMANAM.

1464.— Perfecta obedientia non solum præceptorum sed et consiliorum observationem postulat. Unde mirum non est, Frater, Seraphicum Patrem non solum in omnibus imperio hierarchiæ ecclesiasticæ obtemperasse, sed et Ordinem suum adhuc modo peculiari pedibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ subjecisse. Dicemus igitur 1) De cultu S. Patris erga Ecclesiam Romanam; 2) de rationibus hujus cultûs et 3) de signis quibus perfecta erga Romanam Ecclesiam obedientia dignosci potest.

(1) Cfr. n. 138.— (2) Cfr. Constit. O. M. C. n. 46-48.

ART. I. — De cultu S. Francisci erga Ecclesiam Romanam.

1465.— Cultus seraphici Patris erga Ecclesiam Romanam ex eo clare apparet quod *a)* suam Regulam Papæ probavit et *b)* cardinalem Protectorem sui Ordinis petiit et obtinuit.

a) Ex Regulæ approbatione.— S. Franciscus inter omnes religiosorum Ordinum fundatores, teste Bellarmino [1], primus fuit qui Regulæ suæ approbationem a Papâ et petierit et obtinuerit; dein in ipsâ suâ Regulâ cultum præscripsit omnino specialem Romano Pontifici exhibendum. Ait enim [2]: "Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam Domino Papæ Honorio ac successoribus ejus canonice intrantibus et Ecclesiæ Romanæ."

b) Ex postulatione cardinalis Protectoris.— S. Franciscus adhuc primus fuit inter fundatores religiosorum qui a Papâ Cardinalem sui Ordinis protectorem petierit ac obtinuerit. Quâdam enim die, coram Honorio III admissus, ei sic alloquitur [3]: "Ad majestatem tantam pauperibus et despectis viris de facili, domine, ut nostis, non datur accessus. Orbem quidem tenetis in manibus nec minimis intendere prægrandium rerum negotia sinunt. Propter quod, ait, domine, a vestræ sanctitatis visceribus postulo hunc dominum Hostiensem nobis pro Papâ concedi, ut salvâ semper vestræ præeminentiæ dignitate, possint fratres ad eum tempore necessitatis recurrere, et ab eo tam defensionis quam gubernationis beneficia reportare."

Unde non immerito Leo XIII hæc ad superiores Ordinis Minorum Capuccinorum habuit verba [4]: "Unusquisque e religiosis Ordinibus, sicuti et suum proprium characterem, ita et suam specialem gratiam habet. Gratia vestra, o filii S. Francisci, specialis fuit plenissima in S. Sedem et Roma-

(1) *De Monachis*, Lib. 2, c. 4.— (2) Reg. cap. 1.— (3) CELANO, Leg. II, c. 17, p. 187, seq.— (4) Anal, O. M. C. t. 1, p. 53.

nam Ecclesiam fidelitas. Hæc est vestra gratia, vestra gloria, vestrumque meritum, videlicet quod Romani Pontifices vos semper habuere devotissimos filios et fidelissimos operarios. Porro sicut in præterito, ita et in præsenti et in futuro eritis."

Art. II. — De rationibus cultûs erga Ecclesiam Romanam.

1466.— S. Franciscus, omnesque ejus filii legitimi filialem amorem, summam obedientiam ac omnimodam submissionem erga S. Matrem Ecclesiam semper habuerunt, triplicem ob rationem: 1) ob Ecclesiæ præstantiam, 2) ob divinam Ordinis minoritici vocationem et 3) ob ejusdem Ordinis conservationem.

A) *Ob Ecclesiæ præstantiam.*— Ecclesia est Christi corpus mysticum. Deus S. Ecclesiam diligit immenso, activo æternoque amore. Ipse Spiritus S. eam animat, inhabitat, inspirat, edocet et dirigit, et ita quidem ut Summus Pontifex, visibile Ecclesiæ caput, sit infallibilis in doctrinâ fidei et morum. Inde adhuc unitas atque sanctitas Ecclesiæ cum omnibus donis ac proprietatibus quæ sponsam Jesu Christi exornant in liturgiâ, disciplinâ, sacerdotio, magisterio, et imperio ecclesiastico. Quapropter sicut omnes sancti Dei, Seraphicus Pater mirabilem adorandamque Spiritûs Sancti inhabitationem operationemque in Romanâ Ecclesiâ et Summo Pontifice considerans, reverentiam et obedientiam habuit quam perfectissimam in iis quoque quæ minima esse videntur. "Inter omnia et super omnia fidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ servandam, venerandam et imitandam fore censebat, ait Celano [1], in quâ salus consistit omnium salvandorum [2]."

(1) Leg. I, c. 22, p. 65.— (2) Cfr. P. Gaudentius, Regulæ vitæ apostolicæ servandæ, p. 350, seq.

Sed ultra Ecclesiæ præstantiam alia motiva S. Franciscum ad hunc impellebant cultum.

B) *Ob divinam vocationem.*— Cum olim Seraphicus Pater, ut S. Bonaventura narrat [1]: "prostratus ante imaginem crucifixi... cum lacrymosis oculis intenderet in dominicam crucem, vocem de ipsâ cruce dilapsam ad eum corporeis audivit auribus, ter dicentem: Francisce, vade et repara domum meam, quæ, ut cernis, tota destruitur." Intentio verborum Christi, ut hic merito S. Doctor notat, referri debet ad Ecclesiam, "quam *Christus suo sanguine acquisivit* [2], sicut eum Spiritus Sanctus edocuit, et ipse postmodum fratribus revelavit."

Etiam, quando S. Pater ad petendam vitæ suæ Regulam se coram Papâ Innocentio præsentabat, qui, juxta Celano [3]: "viderat in somnis Lateranensem Basilicam fore proximam jam ruinæ, quam quidam religiosus, homo modicus et despectus, proprio dorso submisso ne caderet sustentabat," summus Pontifex Franciscum intuens: "Vere, inquit, hic ille est qui opere ac doctrinâ Christi sustentabit Ecclesiam."

Age porro, Frater, hæc divina vocatio necessario ab omnibus Minoribus devotionem, amorem atque reverentiam postulat singularem erga S. Matrem Ecclesiam, Summumque Pontificem.

C) *Ob Ordinis conservationem.*—S. Pater Ministris Provincialibus, et custodibus in regulâ [4] præceptum imponit grave ut postulent a Papâ Cardinalem protectorem, ut sit "gubernator, protector et corrector" suæ fraternitatis [5]. Et ratio-

(1) Legend. maj. cap. 2, Opera t. VIII. p. 507, seq.— (2) Act. xx, 28. — (3) Leg. II cap. 11, p. 112. — (4) Cap. 12. — (5) Innocentius XII C. "Christi fidelium" 17 Febr 1693 omnem Cardinali Protectori eripuit jurisdictionem ordinariam. Itaque hanc tantum exercere poterit quam Ipsi S. Pontifex forte delegaverit; sed ejus partes sunt Ordinem in quieto et pacifico statu conservare et augere, ab impugnationibus et molestantibus protegere, ac etiam invigilare ne subditi a superioribus opprimantur.

nem hujusmodi præcepti addit dicens [1]: "ut semper subditi et subjecti pedibus ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, stabiles in fide catholicâ, paupertatem, et humilitatem, et sanctum Evangelium Domini nostri Jesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus."

Celano [2] autem fusius hanc exponit S. Francisci intentionem:

"Pater sanctus, ait, cum natorum soboles multiplici ubique jam numero dilataretur et gratiâ... cœpit sæpius meditari sollicitus qualiter illorum novella plantatio servari posset et crescere unitatis vinculo colligata... Vadam igitur et eos sanctæ Romanæ Ecclesiæ commendabo (scilicet fratres meos), cujus potentiæ virgâ percellantur malevoli, et filii Dei in æternæ salutis augmentum ubique plenâ gaudeant libertate. Recognoscent ex hoc filii dulcia beneficia matris, et speciali devotione semper ipsius reverenda vestigia complectentur. Non erit, ipsâ protegente, in Ordine malus occursus, nec filius Belial per vineam Domini transibit impunis. Paupertatis nostræ ipsa sancta æmulabitur gloriam, et humilitatis præconia per superbiæ nubilum offuscari non sinet. Caritatis et pacis in nobis vincula servabit illæsa, censurâ strictissimâ percutiens dissidentes. Evangelicæ puritatis observatio sacra continue in conspectu ejus florebit, nec odorem vitæ vel ad horam patietur elabi."

Uti vides, Frater, ratio cur Seraphicus Pater tam singularem cultum habuerit, semper erat ut gregem defenderet contra luporum dentes, et inter ipsos filios arceret quidquid paci et unitati esset contrarium [3].

---

(1) Reg. cap. XII. — (2) Leg. II cap. 16, p. 186.— (3) Celano, l. c.

ART. III. — De signis quibus perfecta obedientia erga Ecclesiam dignoscitur.

1467. — Cum Fratres Minores ex intentione sui fundatoris perfectam Ecclesiæ Romanæ exhibere teneantur obedientiam, inquirendum venit quomodo hæc dignosci possit. Varia inveniuntur hujus obedientiæ signa, sed potissimum sequentia [1]: *a)* obedientia amorosa erga Ecclesiam; *b)* reverentia erga theologos; *c)* timor et suspicio novitatum, et *d)* diffidentia sui.

A) *De obedientiâ amorosâ erga Ecclesiam.* — Ad perfectam obedientiam jam non sufficit, ut ex pœnarum vel censurarum timore Ecclesiæ imperanti obtemperes: obedientia enim sine timore larva est, non vivens realitas. Nunquam igitur dices, Frater; Lex vel præceptum sunt inutilia, molesta, malæ interpretationi ansam præbent, lata ab auctoritate a studio partium non immuni, aut non bene de rebus gestis edocta. Ut vera sint hæc omnia, nihilominus officium et gratia obedientiæ remanent immutata et ingenium docile obedit, Qui auctoritatem crisi subjiciunt, non sunt dociles. Etiamsi obediunt, amittunt gratiam obedientiæ. Spiritus Christi est spiritus obedientiæ, et spiritus divini capitis pervadit corpus ejus mysticum. Axioma illud: "Sentire cum Ecclesiâ," significat credere cum Ecclesiâ, sperare cum Ecclesiâ, amare cum Ecclesiâ, et ideo obedire cum Ecclesiâ, Sacerdos, et potissimum sacerdos minorita, ante omnia et inter omnes vir est obedientiarum. Obedit Patri ut filius, Filio ut sacerdos, Spiritui Sancto ut discipulus, Ecclesiæ tanquam matri, Summo Pontifici tanquam testi visibili et vicario qui Dei nomine ejus obedientiam accipit in personâ Jesu Christi [2].

---

(1) Magnâ ex parte excepta ex libro Card. Manning: *Le sacerdoce éternel*, c. 16. — (2) Cfr. Manning, l. c.

B) *De reverentiâ erga theologos.* — Seraphicus Pater in Testamento hanc reverentiam a filiis suis aperte postulat dicens: "Et omnes theologos, et qui ministrant nobis sanctissima verba divina, debemus honorare et venerari sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam." Et merito quidem, nam etsi sententia communis theologorum non efficit ut aliquid fiat de fide divinâ, ait Cardinalis Manning [1], eorum consensus tamen creat traditionem intellectualem, cui nemo suum judicium sine temeritate opponere potest.

Aliud signum perfectæ obedientiæ mentalis est *devotio erga sanctos.*

Illi sunt exempla nostra. Illorum consilia, dicta, agendi ratio nobis sunt regula et admonitio. In eorum vitâ præcepta et consilia sunt quasi incarnata. Omnis devotus Minorita suos habet patronos. B. Virgo Maria est patrona omnium. Similiter S. Joseph, quia est patronus Ecclesiæ universalis. Suorum Patronorum verbis semper attendit, eorum exempla imitari nititur, et sic semper e corde abhorret quidquid ab hominibus spiritu mundano imbutis contra Ecclesiam Christi profertur et docetur.

C) *Timor et suspicio novitatum.* — Hodie hoc obedientiæ signum ab omnibus fidelibus et potissimum a Fratribus exigitur. Vivimus enim in ævo illimitatæ libertatis intellectûs, et novitatum amor inventionem novarum opinionum semper molitur, et criticismus cohiberi non patitur. Magnâ prudentiâ et cautelâ igitur opus est, maxime in libris legendis: periculosum enim est admittere errorem speculativum vel minimum. Magnâ vigilantiâ indigemus erga id quod hodie summis laudibus tollitur tanquam *moderna cogitandi ratio*, nam ratio mundi moderni continuo a Deo abducit. Veri zelatores, verique devoti Franciscales valde abhorrent ab omni novitate, quæ sapit diminutionem et quasi subtractionem reverentiæ et obedientiæ Apostolicæ Sedi debitarum, verus Minorita ex animo respuit omnem doctrinam menti

(1) L. c.

Matris Ecclesiæ contrariam et alacriter, prompte et constanter paret vel minimis Apostolicæ Sedis desideriis et intentionibus. [1]

D) *Diffidentia sui*, sub omni respectu, præsertim in judiciis speculativis et moralibus. Non raro enim contingit ut nonnulli pseudo-philosophi fallaciis non paucis et subtilitatibus (ex defectu veræ subjectionis exortis) conentur doctrinam S.S. Congregationum debilitare, præsertim si ex memoratis S. S. Congregationibus emanant decreta, epistolæ, declarationes, monita et similia quibusdam opinionibus plus minusve contraria. Ast, Frater, veri Franciscales debent hujusmodi subtilitates, fallacias et distinctiones veritatis diminutivas et a christianâ obedientiâ et internâ mentis subjectione alienas, totis viribus rejicere et *totaliter cuilibet adhærere mandato, desiderio*, et menti S. Sedis. Contrarium facientes sensim sine sensu similes efficerentur illis, qui asserere ausi sunt: "Obligatio quâ catholici magistri et scriptores omnino adstringuntur, coarctatur in iis tantum, quæ ab infallibili Ecclesiæ judicio veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur." [2]

Ad hanc acquirendam diffidentiam sui, tria meminisse sufficit, ait cardinalis Manning [3]: "Primo, quam sæpe erravimus; secundo, quam pauca legerimus; tertio, quam parum studio incubuerimus." Necesse minime est, Frater, ut hoc thema de cultu Ordinis Minorum erga Ecclesiam adhuc fusius pertractemus, nam cum P. Gaudentio [4] dicere possumus quod "ex hoc usque dictis cuilibet S. P. Francisci filio satis patebit Fratris Minoris esse, ut inter omnes Christi fideles corde, verbo et opere emineat atque præcellat filiali amore, summâ obedientiâ ac omnimodâ subjectione erga S. Matrem suam Romanam Ecclesiam. Hunc ergo sensum

(1) Cfr. Manning, l. c. P. Albertus a Bulsano, cap. I, § 11.— (2) Propositio expresse damnata in Syllabo Pii IX, n. 22, Denz. n. 1570; cfr. etiam Albertus a Bulsano, cap. I, § 11. n. 2, nota 1.— (3) L. c.— (4) L. c. p. 364.

erga S. Matrem tuam Romanam Ecclesiam, carissime Frater, verbo et opere ostende in apostolicâ et pastorali vitâ tuâ. Ostende filialem amorem tuum erga S. Romanam Ecclesiam fundendo frequentes preces pro exaltatione et triumpho S. Matris Ecclesiæ; defendendo Summos Pontifices eorumque jura contra quoscumque calumniatores et Ecclesiæ inimicos; Christi fideles excitando et adhortando ad auxilium ferendum pro indigentiis et necessitatibus Summi Pontificis et Ecclesiæ Matris; ostende summam obedientiam tuam erga Ecclesiam Romanam non solum quoad ejusdem decreta dogmatica, sed etiam quoad omnia, minima quoque, quæ S. Mater Ecclesia et Summi Pontifices disposuerunt, mandarunt atque præscribunt pro Ecclesiæ disciplinâ et cultu, in Rituali et Ceremoniali. Paucis: semper, ubique et in omnibus omnimodam atque humillimam subjectionem exhibe S. Matri tuæ Romanæ Ecclesiæ. Hoc et perfecte adimplere teneris ex mente Regulæ et Constitutionum Ordinis, de quibus nunc agendum.

TRACTATUS IV

DE OBLIGATIONIBUS EX REGULÂ ET CONSTITUTIONIBUS FLUENTIBUS.

1468.— Omnis status religiosus primo et per se tendit in perfectionis acquisitionem, et vi susceptionis talis statûs exsurgit obligatio per media apta, nempe consilia evangelica, hunc finem prosequendi. Mensura tamen perfectionis non eadem est omnibus statum religiosum profitentibus, sed determinatur a fine speciali quem Ordo sibi assequendum proponit. Hic finis specialis seu alicujus Ordinis principalis est vel vita contemplativa, activa vel mixta. Ultra consilia evangelica igitur, pro unoquoque instituto religioso, Regula et Constitutiones sunt, ut media ad hunc finem ordinata. Ast, Frater, die professionis, vitam amplexus es mixtam et sub Regulâ S. Francisci et Constitutionibus Capuccinorum te militaturum Deo solemniter promisisti. Inquirendæ igitur sunt obligationes ex Regulâ et Constitutionibus fluentes. Ut practice procedamus, dicemus 1) de auctore et excellentiâ Regulæ S. Francisci et Constitutionum Fratrum Minorum Capuccinorum, 2) de earum vi obligatoriâ atque de peccatis iisdem oppositis in genere, et 3) de earum vi obligatoriâ pro viris Apostolicis in specie.

CAPUT I.

DE AUCTORE ET EXCELLENTIÂ REGULÆ S. FRANCISCI ET CONSTITUTIONUM CAPUCCINORUM.

ART. I.— De auctore.

1469.— A) **De auctore Regulæ.**— Christus Dominus auctor est statûs religiosi et omnium ad ejus substantiam jure divino pertinentium. Attamen jure merito addere possumus Deum unicuique Religioni in Ecclesiâ approbatæ non solum constituisse fundatorem, socios instituti aptos ei adjungentem, sed fundatori inspiravisse eumque docuisse vivendi formam seu Regulam observandam. Hæc enim omnia non ex humano consilio, sed ex Spiritûs S. illustratione possunt provenire. Hoc absque ullo dubio affirmare possumus de Regulâ Seraphicâ, ut constat *a)* ex vitâ Seraphici Patris, *b)* ex verbis ipsius, et *c)* ex revelatione.

a) E vita Seraphici Patris. — S. Bonaventura [1] originem Regulæ clare indicat. De Seraphico Patre hæc tradit verba: "Cum autem, ait, vivendi formam per dominum Innocentium approbatam disponeret per successorem ipsius Honorium in perpetuum facere roborari, hujusmodi fuit a Deo revelatione commonitus. Videbatur quidem sibi de terrâ micas panum subtilissimas collegisse multisque famelicis fratribus ipsum circumstantibus debere tribuere. Cumque micas tam tenues distribuere formidaret, ne forte inter manus exciderent; vox ei desuper ait: "Francisce, unam de micis omnibus hostiam facito et manducare volentibus tribue." Quo id agente, quicumque illud non devote recipiebant, aut receptum contemnebant donum, mox leprâ infecti, notabiles apparebant. Recitat mane vir sanctus hæc omnia sociis, dolens, se non percipere mysterium visionis.

(1) Legenda maj. cap. 4. Op. t. VIII, p. 515.

Sequenti vero die, cum vigil in oratione persisteret, hujuscemodi vocem de cœlo delapsam audivit: "Francisce, micæ præteritæ noctis verba evangelica sunt, hostia Regula, lepra iniquitas [1]." Volens igitur confirmandam Regulam ex verborum Evangelii aggregatione profusius traditam ad compendiosiorem formam, juxta quod dictabat visio monstrata, redigere, in montem quemdam [2], cum duobus sociis, Spiritu Sancto ducente, conscendit, ubi pane tantum contentus et aquâ, jejunans conscribi eam fecit, *secundum quod oranti sibi divinus Spiritus suggerebat.* Quam cum, de monte descendens, servandam suo vicario commisisset et ille, paucis elapsis diebus, assereret per incuriam perditam; iterato sanctus vir ad locum solitudinis rediit eamque instar prioris, *ac si ex ore Dei verba* susciperet, illico reparavit et per... Dominum Papam Honorium... obtinuit confirmari."

